






BOUND BY










DE REBVS PERVANIS, R^di. P. DIEGHI DE TORRES, SOCIETATIS IESV PRESBYTERI Commentarius, à Ioanne Hayo Dalgattienſi Scoto eiuſdem Societatis ex Italo in Latinum conuerſus.



ANTVERPIAE,
Ex Officina Typographica Martini Nutij, ad interſigne duarum Ciconiarū,
M. DC. IIII.



ADMODVM R[dis] IN CHRISTO PATRIBVS ET DOminis, Dom. Iacobo Cadet, Carthuſianorum in Prouincia Franciæ viſitatori, & domus B. Mariæ de Bourgfontaine Priori, Dom. Nicolao de Giroys, Dom. Adamo Oger, Dom. Ioanni Benedicto, Dom. Richardo Beaucouſin, & Dom. Ioãni Bucherõ, Prioribus Ordinis Carthuſianorũ, Ioannes Hayus in Chriſto Domino ſalutem.



Rdinis veſtri Religioſi, Societatis noſtræ parentem, immo ipſam naſcentem Societatẽ, ſumma complexi ſunt beneuolentia: vos verò, eandem de ſociis bene merendi viã ingreſsi, eos, quibus potuiſtis officiis, vel perturbatiſsimis tẽporibus proſequi non deſtitiſtis; cuius rei ego ſum teſtis, tot ſiquidem taliaq́; in me contuliſtis beneficia, vt gratia à me tanta vobis referri non poſſit, quanta debetur. Cùm ergo ad remunerãdum, præter voluntatẽ, mihi ſuppetat nihil, & hominis ſit non ingrati, acceptorum retinere beneficiorum memoriam, non alienum à mea erga vos obſeruantia ſum arbitratus, ad vos mittere de rebus Peruanis commentarium, ſuperiore anno à Diego de Torres, Peruanæ prouinciæ in vrbẽ miſſo Pro-

curatore ſcriptum, quem nunc Latinum, tanquã mei in vos ſtudij ſingularis perpetuum teſtem, lubenter (vt mihi perſuadeo) legetis. Vos porrò ſi rogarem, vt ſociorum, in excolenda Chriſti Domini apud Peruanos vinea, labores veſtris ad Deũ precibus promoueretis, de veſtra mihi multis rebus perſpecta pietate dubitare viderer. Me itaq; continebo, & epiſtolam concludam, Deum rogans, vt vos cum cœtu optimorum Religioſorum, quibus præeſtis, incolumes conſeruet. Veſtris orationibus me etiã atque etiam commendo. Antuerpiæ, ex Collegio Societatis IESV, M. DC. IIII.

Obſequentiſſimus in Chriſto ſeruus,
Ioannes Hayus.

Re-



Egnum Peruanum, quod mari Cartagena Chilã vſque millibus paſſuum 4500 ſeu leucis 1500 patet, & terra totidem à ſancta Maria ad Paraguai, Coronæque Hiſpanienſi hoc tempore patet, in varias eſt prouincias diſtributũ. Incolæ, propter maximam qua fruuntur, cœli temperationem, diutius quàm Europæi in vita, minuſq; morbis obnoxij perſiſtunt. In littore maris Auſtralis nunquam pluit. Quinque aut ſex anni menſibus decidit nocturno tempore denſus ros, qui ad multum diem durat, quo terra illa, ſimul & fluminum torrentiumque, qui ex montibus fluunt, irrigatione, adeò fœcunda redditur, vt pro menſura vna ſeminis, cuius magnus eſt illis in locis vſus, Maiz nomine, quam excipit, ducentas & nonnunquam trecentas reddat. In agro ciuitatis Aricas, vbi non ſuppetit ſiue roris ſiue irrigationis aquarum copia, admirabili quadam ratione Deus hominum commodis proſpexit, nam ad maris littus ingens halecum vis, quo tempore fit ſemẽtis, confluit, quæ magno ſunt agricolis vſui: ſingulis enim capitibus à corporibus diuulſis, imponuntur ſingula grana Maiz, ac ſic in terra defoſſa, vberrimos meſſis tempore reddunt fru-

ctus:corporibus verò eorundem piſcium conjunctis cum auium maritimarum cadaueribus, quorum ibidem maximus eſt numerus, ſtercorari conſueuerunt agri, qui hac ratione nō minus fœcundi & fertiles redduntur, quàm ſi aqua irrigarentur.

Totum hoc maris littus magnam fert copiã Oliuarum & vitum. In Ica vuæ ſunt magnitudine mirabili, adeò vt ex vno racemo Peruano maior copia vini exprimatur, quàm ex duobus tribúſve Europeis. Sunt porrò vina ſuauiſſima, perfectam ſiquidem ex cœli temperatione conſequuntur maturitatem, quæ per vniuerſum regnum Peru, partim mari partimque terra, deuehuntur. Veruecibus magnis, quorum duo onus muli ferunt, imponuntur clitellæ, nō modò ad deuehendum vinum, ſed & argentũ, aliaque metalla ex venis ad mare. Vini pretium partim ex ipſius bonitate & partim ex longinquitate loci ad quem portatur pendet. In Potoſi medius cadus emitur quindecim aut 18 aureis nummis, in Tucuman 50. in ſancta Cruce della Serra 90. aut centum. Tanta eſt Peruana temperies, vt non ſit opus calefaciendi ſe cauſa ad ignem accedere aut veſtem mutare, quod locum maximè habet in Chito regione, quæ mediæ cœli plagæ ſubjicitur, vbi perpetuus videtur

detur esse Aprilis. Cæterùm in locis montanis non est perpetua hæc temperies, nam vno eodemque die augetur & minuitur, cùm calor tum frigus, ratione situs loci; quo enim propiùs à montis vertice quispiã abest, eo frigidius sentit cælum, quo verò longiùs, remissiora percipit frigora. Atque hinc ortum scimus, quòd cùm arbores vno in loco florere incipiunt, in alio maturos habeant fructus, imò quod est magis mirum, in eadem arbore deprehenduntur fructus maturi simul & flores. De Prouinciis mõtanis, nimirum sanctæ Mariæ, & Potosi vniuersè dici potest eas in cœlo esse temperato, steriles nihilominus, cũ nullum ipsæ fructum producant, præter radices, quę sapiunt castaneas, quibusque pauperes vescuntur; quod amplius est, in agris, qui patent quingentis passuũ millibus, arbor nulla reperitur, maximè in Prouinciis Tucumã & Paraguai, & in planitie 600 millium nullus omnino est lapis, imò ne lapillus quidem. Non desunt in variis regni Peruani locis venæ, in quibus est Argenti abundantia, nam vna illa Potosi, 40 annorum spatio, trecentos dedit Milliones, vt ex tabulis regis constat. Sunt item optimi auri venæ, & in nouo regno Granadæ Smaragdi, in insula Margarita nomine piscatus vnionum; sunt & aliqui

 terræ

terræ hiatus, quos author Itala lingua appellat Vulcani, ex quorum exhalationibus magnum vicini populi contraxerunt damnum, ex hiatu qui est prope Chito exit vapor, cuius calor ab iis percipitur, qui 25 aut 30 passuum millibus absunt. De Cauerna illa, quæ abhinc trienniũ in agro vrbis Arechipa patefactis faucibus disrupta est, cùm aliàs non pauca sint scripta, in præsens tria aut quatuor tantùm quæ vidi admiranda commemorabo: ac primùm; Tam copiosè & abundanter arenas euomuit, vt ipsarum tenebræ regionem omnem obscurarint, nam aliquot diebus in ipsa etiam meridie coacti lucernas incendimus, tanta erat ex arenæ abundãtia caligo, vt perpetua videretur nox. Arenæ verò copia fidem omnem superat. In vrbe siquidem Salta, quæ est in Tucuman, & abest quingentis passuum millibus Arechipa, extitit magnus rapidusque arenæ torrens, qui vastitatem cùm vineis tum duarum conuallium arboribus effecit, vt damnum, quod inde acceperunt incolæ, millione auri resarciri non possit. Cùm verò disrumperetur cauerna, tantus extitit sonitus, vt omni ex parte ab iis, qui sexcentis passuum millibus aberant, non minùs audiretur, quàm ab Arechipæ ciuibus, qui eodem tempore in vrbe commorabantur. Habet

Perua-

Peruana regio multa admiranda, exempli cau-ſa in Guancabeleca fontem, cuius aqua in terrã decidens in lapidem mox conuertitur: Prope Potoſi in prouincia Coſſopis inſulam, cui lacus frigidiſſimus, ex quo fluit aqua feruens. Huius generis varia narrat P. Acoſta in ſuo libro de natura noui orbis.

Optima ſunt Peruani natura & quieta, cùm injurioſiùs etiam nulla ſua culpa tractantur, patienti animo verbiſque bonis aliorum improbitatem retundunt: dicunt enim, Hochaimi Vu anaſaem, hoc eſt, Domine culpam agnoſco, me ipſe corrigam. Rariſſima ſunt ipſorum diſſidia, & vix vnquã ſe mutuis plagis aut cruentant aut interimunt: at nõ propterea iudicandi ſunt imbelles, nam robuſto ſunt animo, & corpore valent. In regno Chilæ, incolæ Aranco bis quinquaginta annis cum Hiſpanis belligerarunt, & nonnunquam in ſingulari certamine euaſerunt victores. Sunt item nationes variæ, propter mare, quod ad Septentrionẽ vergit, quas hactenus Hiſpani non potuerunt domare, quæque in Gentiliſmi tenebris miſerrimam degunt vitam. Sunt præterea Peruani in diuitiarum affluentia pauperrimi, nam eas non quærunt, imò ne expetunt quidem, contenti cibo cõmuni, quem terra ſuppeditat, veſti-

tuq́ue vili ex ſacco tecti ſiue manicis, qui ad virorum pertingit genua, ad feminarum verò pedes; brachia tegunt pallio forma quadrata, quo ad alia multa vti conſueuerunt, ipſorum cubile eſt terra ſtramine veſtita. Domos habēt paruas, quarum oſtia nulla habent clauſtra, quæ claue aperiuntur, quæq́ue adeò ſunt humilia & anguſta, vt per ea difficilis ſit in ipſas ædes ingreſſio: In eiuſmodi paruis & anguſtis locis ſupellectilem ſuam concludunt omnem. Conuallium incolæ viuunt Mais, cùm elixo tum aſſo. Montani verò veſcuntur radice, quæ ſapore à caſtanea non differt: horum omnium obſonium eſt creta cū ſale & aqua permixta. Qui huiuſmodi viuunt vitam, locum in quo conſiſtant Superbia, Inuidia, & Auaritia apud ſe relinquunt nullum. Otium porrò & deſidia à Peruanis exulant, & ne Iuuentus delicatè ac molliter viuat, puerulorum, cùm primùm per teneram ætatem abſque alieno ſubſidio ingredi poſſunt, humeris alligantur onera, quæ vſque ad certam ætatem ſtatis temporibus augentur, & nunquam remouentur. Cùm viri tum feminæ nō alia ratione quā pedibus iter faciunt, imò feminæ inter ambulandum conſueuerunt ligna portare, aut alias reculas, ſimul & infantes ſuos in cunis, nec propter itineris laborem

fila

fila nere desistunt, vescuntur potione non absimili cereuisiæ, maximè cùm dies festos agunt. In certis regnis, apud aliquos minùs instructos Christianæ religionis disciplina, regnat ebrietas; at tetrum hoc gutturis vitiũ, qui se in religiosorum hominum disciplinam tradiderunt, omnino aspernantur. Sunt porrò Peruani naturæ donis multis in rebus habiles, nam labore non magno temporeque breui legere discunt & canere, musicisque instrumentis scienter vti: Musici euadunt præclari, & hinc factum, vt Christianorum templa canentibus Peruanis ex magna vocum musicorumque instrumentorum concordia gratissimo sono compleantur. Christianam doctrinam facilè percipiunt, eamque memoriæ commendatam obliuioni nõ tradunt, & qui semel diligenter imbiberunt, ad Deorum cultum non ampliùs redeunt, immo fidem Regi datam studiosè seruant, à Gentilibus quippe suis prouocati, vt à debita Maiestati Catholicæ obedientia deficerent, semper constantes in officio permanserunt: cuius rei factum est periculum in defectione Chitensi, de qua infrà dicendum est. Christianorum Peruanorum numerus est 3. Millionum, qui omnes in duos Archiepiscopatus & duodecim Episcoparus sunt distributi. Singuli prope Episcopatus

patus ingentia terræ ſpatia complectuntur, nimirum ad ſexcenta paſſuum millia, quibus parent trecenta circiter municipia, quæ proprios habent Paſtores, non loquor de villis multis prædiiſque Hiſpanorum, in quibus excolendis occupantur innumeri Indi, deſtituti doctrina Chriſtiana, aliiſque ad beatam vitam quæ ducunt præſidiis. Quorum cura eſt Sacerdotibus quos ſæculares appellamus commiſſa, ſed tanta eſt horum Sacerdotum non curantia, vt planè miſerum populum ſuæ fidei commiſſum negligant; eſt quidem ipſis abundè proſpectum de agrorum fructibus & honoribus eccleſiaſticis, non alia de cauſa, quã vt omnes ingenij induſtriæq; ſuæ neruos in erudiẽdis Chriſtianæ doctrinæ rudibus ignariſq; intenderẽt: At vernaculã linguam Indorum diſcere nõ laborant, & morum ſuorum improbitate multos à virtutis ſtudio deterrent; quæ ſua ſunt quærunt, nõ autem quæ Chriſti; nõ enim alia de cauſa onus hoc gubernãdi alios ſuſcipiunt, quã vt diuitias, cùm ad vſus vitæ neceſſarios tum ad perfruendas voluptates, conſequantur. Non inficior, & ipſos Indos ſuæ inferre ſaluti moram & impedimentum, cũ in fidei rebus ſunt hoſpites plerique omnes, modò illos excipiamus, quos Religioſi probi Deique amore incenſi ad Chri-

ſtianæ

ſtianæ religionis inſtituta erudierunt. Conſueuit rex Catholicus, pro ſua erga Deum pietate, certis temporibus religioſorum virorum habere delectum, vt Euangelicæ legis doctores ad Peruanos mittantur, qui pro dignitate hoc onus ſuſtineant, quorum ſingulis regia Maieſtas viaticum dat quingentorum nummorum aureorum, atque abundè vt omnia quæ ad vitam tranſigendam eis ſunt neceſſaria ſuppetant, vbi ad ſedes ſtabiles domiciliaq; certa perueniunt, diligenter curat. Cæterùm hactenus magna fuit eorum paucitas, qui hanc Domini vineã diligẽter excoluerunt, & nihilominus veri pij Chriſtiana charitate ardentes, quãuis reconditarum doctrinarũ ſtudijs ſint leuiter tincti, vberrimos laborum ſuorum apud Peruanos fructus capere poſſunt; imò ſi vel mediocrem linguæ Peruanæ cognitionem fuerint aſſecuti, & charitate flagrãtes in ſtudium erudiendi populum diligenter incubuerint, non dubitarem quin maiorem hominum numerum ad Chriſtiana ſacra adducerent, (tanta eſt Peruanorum ad virtutem propenſio) quàm apud alias gentes facerent ſummi concionatores & doctores maximarum artium diſciplinis expoliti. In regno hoc duæ ſunt linguæ, quæ latiſſimè patent, quarum notitiam facilem eſſe experientia docuit,

cuit, cùm ex patribus noſtris aliqui vnius menſis ſtudio in illis eos fecerint progreſſus, vt Chriſtianos peccata ſua confitentes optimè intelligerent, & bimeſtri labore verba ad populum de fidei rebus facientes à cōcione tota magna cum voluptate & fructu non exiguo intelligerentur. Sed & ego, qui variis occupationibus diſtinebar, & minore charitate erga proximorū ſalutē, quā ſocij alij, flagrabā, vtriuſque linguæ ſum eam aſſecutus cognitionem, vt aures mihi confitentibus peccata ſua Peruanis dederim, & nuper Romæ curauimus typis excudi Grammaticam linguæ Aimara, quam compoſuit pater Italus, & in lingua in quas excuſi ſunt Catechiſmus & doctrina Chriſtiana, primique libri dati ſunt S. D. N. Religioſi Societatis per vniuerſam Peruanam prouinciam, à Carthagena ad Chilam & Paraguai, diſperſi ſunt, in octo Collegiis, vno nouitiatu, 7 domiciliis, quæ reſidentiæ paſſim vocantur, duobuſque Hiſpanorum ſeminariis: In Carthagena verò & nouo regno Granatēſi duo hoc tēpore inſtituuntur domicilia, & datur opera vt ſeminaria tria nobilium Indorum exædificentur. His omnibus in locis occupantur ſocij in tradendis honeſtis liberalibuſque diſciplinis, Hiſpanorum filiis, in concionibus ad populum habendis, in

admi-

administratione sacramentorum Eucharistiæ & Pœnitentiæ,in procuranda salute eorum,qui in custodiis propter scelera sua aut æs alienum detinentur, & in iis adiuuandis, qui morbis afflictati in domos hospitales, vbi aluntur, aliorũ liberalitate se receperunt. In Collegiis porrò sunt beatæ Virginis sodalitia,ex quibus magnus ad quàm-plurimos redundat fructus: nam sodales non modò in virtutibus magnos faciunt progressus, verùm & alios suo exemplo ad omnem honestatem alliciunt. Inter alia quæ erga sodales exercent socij opera,nihil esse recitatione facti alicuius præclari ipsius B. V. aut Sancti alterius fructuosius experiẽtia nos docuit,quod à sociis diligenter fit diebus festis horis pomeridianis. In vrbe Potosi (vbi maior est hominum quàm aliis in terris viuendi licentia) hac vtilissima occupatione commemorãdi illustria sanctorum virorũ gesta, inducti sunt amplius 70. viri honorati, vt in rerum cœlestium meditatione se exercerẽt,ex quibus 30 partim ad nostram partim ad alias religiosorum familias à mundi huius curis liberi se adiunxerunt: In hac vitæ commutatione acciderunt multa commemoratione digna,sed vnum tantum hoc loco persequar: Opulentus & honoratus ciuis, fortunas suas,amplas sanè, ad pauperum vsus locorum-

corumque, in quibus Deus piè colitur, commoda dedit, & præterea centum triginta aureorum millia, quæ apud se habebat, pauperibus numeratò distribuit, quo facto in sociorum est cooptatus numerum: In eum ad carceres deferentem aquam incidit adolescēs mercator, qui hoc nouitij nostri facto permotus, ad Societatē animū continuò appulit: Sed re perficere, quod animo constituerat, procrastinabat: petere nāque à Societatis Præfectis vt ad eorum viuendi institutum admitteretur differebat. In hac procrastinatione, cū Gersonis seu veriùs Thomæ à Campis libellum de imitatione Christi aperiret, primo aspectu in illa verba incidit: Quî scis an crastinum habebis? Quorum lectio sic eum permouit, vt continuò tabernæ curā Indo puero, quem apud se habebat, demandarit, & seminudus sine pileo (quarta erat noctis hora, & se ad dormiendum comparabat) ad Collegium nostrum festinanter accurrit: Intromissus ad patris Rectoris pedes se abjecit, remq; omnem ordine narrauit, rogans vt in Societatem reciperetur: persuasit ei pater Rector, vt octiduum ad deliberandum caperet, negotiumque hoc Deo præpotenti commendaret: post hoc dies octo (quibus è Collegio exire recusauit) in sociorū numerum est aggregatus, & intra spatium trimestre

mestre

mestre animam efflauit, cùm æger Deum ardẽter supplicibus antea verbis rogasset, vt anteactæ vitæ peccata condonaret, seque ex huius mundi miseriis ad beatam vitam euocaret: Cũ Indis occupantur nostri vtiliter sanè: ægrorum, qui nostram petunt operam (pauci reperiuntur qui eam non expetunt) cõfessiones audiuntur, quibus ministramus Eucharistiæ & extremæ vnctionis Sacramenta, modò idoneos satis eos reperiamus, quibus cœlestia hæc beneficia tribuantur; & præterea eisdem de iis, quæ ad victum & medicamenta spectant, pro nostra tenuitate prospicimus. Quotidie manè & vesperi Sacerdotes, linguæ Indæ intelligẽtes, in templis nostris præstò sunt, vt Indos peccata sua confitentes audiant. Cunctis diebus festis, cùm matutino tum vespertino tempore, ad eosdem Indos à nostris conciones habentur, in Aduentu verò & Quadragesima, ter intra Hebdomadam, quibus diebus ad vesperam recitatur præclarum alicuius viri sancti factum, vt ab omnibus intelligi possit; vbi loquendi finem fecerit socius, Indi terga sua acriter verberant, quo dolorum, quos pro nobis Christus Dominus tulit, memoriam excitent, & peccatis suis debitas pænas persoluant. Peractis ieiunij stati quadraginta diebus, excurrunt socij in omnem vicinitatem,

tatem, idq́ue rogantibus cùm Epiſcopis tum Parochis,qui reipſa edocti, magnum ex hac ſociorũ peregrinatione ad multos prouenire cõmodum, ipſis non modò omnem,quam poſſunt,impertiuntur docendi miniſtrandiq́ue Sacramenta facultatem, verùm liberaliter pecuniam committunt, qua Indorũ paupertati ſuccurrant, & quæ ad pietatem ipſorum promouendam vtilia iudicarint coëmant: Magna itaque cum lætitia excipiuntur ſocij, cùm à Parochis,tum à ruſticis.Solent ferè Sacerdotes à prima luce ad veſperam, cùm in pagis verſantur, occupari in audiendis iis qui peccata ſua confitentur, & quotidie de fidei rebus verba facere. Paſſim reperiuntur viri,qui baptiſmo nunquam fuere tincti, idq́ue aut parentum ſuorũ negligentia, aut quia loca incolunt montana, quæ procul à parochorum domiciliis abſunt. Non pauci ſunt qui,noſtrorum adhortatione fœdam libidinem deſerentes, caſti matrimonii legibus ſe deuinxerunt. His & id genus caritatis operibus cùm noſtri,tum aliorum Ordinum religioſi, Peruanorum ſibi cõciliant beneuolentiam, quo faciliùs ad Chriſtianam eos religionem alliciant.

In omnibus Collegiis domiciliiſq́ue(quæ vt ſuprà dixi reſidentiæ nominantur) ſunt Indorũ

ſoda-

ſodalitates, quæ magno ſunt vſui ad procurandas gentilium ſuorum ſaluti res neceſſarias: frequentant enim ſodales templa noſtra, in quibus magno cum pietatis ſenſu, cùm confeſſione peccata ſua expiant, tum ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento animi vires contra vitia firmant, augentq́; quos morbis affligi ſciunt, aut carceribus detineri, quibus poſſunt modis conſolantur, & nō ſolū hoſpitales domus adeunt, verùm & priuatorum hominum ædes, vbi ſæpius pernoctant, vt morientibus opem quam poſſunt omnem, maximè iis in rebus, quæ ſpectant ad animi ſalutem, ferant; & denique, vt paucis multa complectar, ſodales in omni opere pio ſe ſtrenuè, & vt viros Chriſtianæ religionis obſeruantes decet, exercere nō ceſſant. Sodaliū numero adſcribuntur cæci pauperes, quorum vitam aliorum liberalitas ſuſtentat, qui in templorum noſtrorum ianua rudem populum docent doctrinam Chriſtianam, modumq́ue peccata ritu Chriſtiano confitendi: cùm Socii in pagos & villas excurrunt, itineris laboriſq́ue comites habent hos cæcos, qui ab adoleſcentibus per manus ducuntur: ſimul mittuntur bini patres cum totidem cæcis, qui in pagis & villis idem pietatis officium erga ruſticos exercent, quod mercatoribus & opificibus præſtare con-

ſueuerunt, cùm in vrbibus commorantur. Cæcorum labor eſt ruſticis cùm gratus tum vtilis, cuius rei certiſſimum eſt teſtimonium magna plebeiorum hominum erga cæcos beneuolentia cum munuſculis liberaliter datis coniuncta. Omnes cupiunt ipſorum conſuetudine in domibus ſuis frui, quo melius doctrinæ Chriſtianæ præcepta imbibant, & rationem ſacerdotibus confitendi peccata ſua percipiant.

In Collegiorum aliorumq́ue domiciliorum noſtrorum porticibus Indi pauperes ſtipem à nobis accipiunt, & in Potoſi certa ſunt vectigalia hanc ob cauſam Collegio data, quare in dies ſingulos noſtri alunt ad ducentos pauperes, & nonnunquam ad trecentos, qui numerus non facilè minuetur, cùm in hac vrbe numerentur Indorum peregrinorum centum millia: in locis illis quibus noſtri præſunt, vt in Giuli & in S. Iacobo, ſunt hoſpitales domus, & ſcholæ in quibus quotidie erudiuntur Indi in fidei Chriſtianæ doctrina: quorũ tenuitatem liberaliùs, quàm aliis in locis fieri cõſueuit, ſuſtentamus: nam diebus dominicis & feſtis ad ea quæ quotidie ampliùs ſexcentis pauperibus damus, carnes & radices, Papas nomine, quæ Caſtaneas ſapiunt, adiungimus; præter victũ quotidianum, quem à nobis accipiunt, damus præterea lanã,

qua

qua pannum conficiant, quo ſe veſtiāt, & veruueces onerarios, quibus vti poterunt ad victum ſibi comparandum. In his & ſimilibus occupationibus diſtinentur ſocii; qui nō ceſſant, cùm neceſſitas poſtulat, aliorum ſaluti qua poſſunt charitate & diligentia ſuccurrere, vt ex iis quæ iam ſum ſcripturus perſpicuum exiſtit. Quo anno Puſtularum morbus, qui nomen varioli (nouum an obſoletum iudicent per me ſermonis vſitati emendatores) à coloris varietate inuenit, vniuerſam Peruanam regionem, non ſecus atque peſtilencia peruaſerat, mortaliumque millia aliquot ex hoc mundo ad ſempiternas ſedes migrare coëgerat, certis patribus Societatis impoſitum fuit onus, morbo laborantibus ſuccurrendi, ex iis porrò quæ cōtigerunt in vrbe Cuzco, vbi tunc commorabar, poterit lector Iudicium de iis ferre, quæ aliis in locis ſocii præſtiterint. Puſtulis non affligebantur peregrini, ſiue Hiſpani ſiue alii, qui extra Peruanā prouinciam in lucem fuerant editi, ſed ſoli Peruani & Nigri annos nati circiter 40, ſimul & Hiſpanorum filii, qui ad eandē peruenerant ætatem & nati fuerant in Cuſco: Inter admiranda illius temporis obſeruatum fuit, non antea Nigros & Hiſpanorum filios in puſtularum morbū delapſos, quàm Indi omnes in eum incidiſſent: &

præterea Indos peregrinos non antea morbum ſenſiſſe, quàm populares ipſorum qui domi remanſerant eiuſdē moleſtiis affligerentur. Morbi initium fiebat à dolore renum, adeò vt manuum pedumque digiti areſcerent, totiuſque corporis cutis mutaretur, ſimul cum colore, deciderentque capilli omnes etiam palpebrarum.

Collegij noſtri Rector, cùm in platea conciones haberet, & de hoc morbo nulla eſſet in illis locis ſuſpicio; de officio Chriſtiani hominis erga ægros frequenter diſſerebat, deque Sacerdotum Parochorum maximè, quod illis incumbebat, munere non modò conſolandi ægrotos, verùm & ipſis Sacramenta miniſtrandi: vbi ergo præter opinionem ſuam oblata fuit occaſio bene merendi de populo periculosè ægrotante, prouinciam hanc 120 Societatis ſacerdotibus diſtribuit, quorum nouem callebāt linguam Cuzco, alij verò tres peregrinis linguis loquebantur. Ipſe verò Rector omnium primus ad hoc caritatis opus initio morbi, & iā nocturno tempore, eſt aggreſſus, quo alij ſocij ex diurno labore ſe recrearent. Singuli patres ſecum ducebant quatuor aut 5 pueros Indos onuſtos variis medicamentis, aromatibus, pane nautico, (qui rubidus dicitur) & aqua, conquiſitiſq; epulis, quibus dolor, quē pariebat morbus,

bus, leniretur; deferebatur item oleum ſacrum ad eos ritu Chriſtiano vngendos, qui de vita periclitabantur, hunc in modum dies totos & bonam noctis partem inſumebant, ad Collegium redeuntes vt prandio & cæna ſe reficerent. In porticu Collegij ſtabat ſocius ſacris non initiatus patria Italus, qui omnibus petentibus, quæ ad mitigandos morbi dolores conducere videbantur, impertiebat; ad trimeſtre ſpatium durauit hæc ægrorum cura. Quantus porrò fuerit eorum, qui totius anteactæ vitæ peccata cõfeſſionis Sacramento expiarunt, numerus; ſimul & eorum, qui legitimo ſunt matrimonio coniuncti, & à vita impudica ad bonam frugem ſunt reducti, ſciri facilè non poteſt: cæterùm nõ eſt ſilentio prætereunda diuina erga ſocios, qui hanc erga homines miſeriis oppreſſos charitatem exercuerunt, benignitas: nam eorum animos tanta rerum cæleſtium affluentia & dulcedine compleuit, vt in ſummis laboribus nullam corporis defatigationem ſenſerint. Gratiſſimos ſe præbuerunt cũ ciues Cuzco, tum qui vicina incolunt loca, qui memores accepti beneficij, non vulgari Societatem beneuolentia complectuntur: fecerant certi quidam homines ex duabus principalibus familiis oriundi poëma contra Societatem ipſiuſque inſtitutũ,

quod præter authorum expectationem in manus hominum venit, vnde non leuia sunt orta incommoda, sed ciuitatis Principes simul & Canonicorum collegium, non secus ac si ipsorum propria ageretur causa, ac Proregem, Senatum iudicum, Episcopum, & inquisitores prauæ doctrinæ litteras dederunt, quibus Societatem ab improborum calumniis vindicabant, & de iniuria calumniatorum Societati illata grauiter conquerebantur. Stultitiæ suæ, poëmatis Auctores, viri alioquin in honore cõstituti, debitas pœnas magistratui pependerunt, & Societas ab omni infamiæ suspicione libera permansit. Sub idem tempus quo hæc gesta sunt, Sacerdos diuitiis affluẽs, sed à bonis moribus inops, multis magnisque à sociis, & imprimis iis, qui Collegium Cuzco incolunt, affectus beneficiis, nominis nostri vexator extitit, quosdam ex sociis, qui de vita exierãt, falsorum testiũ vocibus armatus probri insimulãs. Collegii Rector hominem in ius vocauit, qui in custodia graui est morbo conflictatus, adeò vt sibi mortẽ imminere existimaret, quare sceleris sui conscientia cruciatus non antea quiescendum iudicauit, quàm à Rectore, ad se in carcerem accersito, delicti veniam impetrarit. Præsente itaque publico Scriba palinodiam cecinit, sociosque

ni

omni infamiæ, quam ipſis inurere cogitabat, periculo liberauit: quo facto continuò eum morbus omnis reliquit. Effecit præterea pater Rector, vt iudex in ſententia pronunciãda reo, qui grauem erat promeritus pœnam, benignè fecerit, ſociiſque cùm viuis tum mortuis luculentum innocentiæ teſtimonium dederit. Similia ſæpe contingunt improborum hominũ in nos odia, quæ propter breuitatis rationem ſilentio præteribo, vnum tantum commemorare conſtitui, cuius ego ſum teſtis, nam me præſente res geſta eſt, quo Lector intelligat, quàm ſint ſubmiſſionis animi & patiẽtiæ virtutes homini religioſo neceſſariæ, quamque ſeuerè à Deo caſtigentur, qui mandatorum diuinorum immemores, religioſique quod ſubierunt inſtituti negligentes, cupiditatum ſuarum habenas remittunt, vt innocentibus inuidiam parent, qui ne hilum quidem proficiunt, cùm Deus peccatorum vindex ſingularem eorum, qui acceptas iniurias non vlciſcuntur, curam ſe habere non obſcurè teſtetur.

Societatis ſacerdos, magno hominum concurſu & applauſu, ad nobiliſsimam inter Peruanos gentem de fidei rebus verba faciebat, cùm ipſius æmulus, à doctrina & iis quæ ad perorãdum ſunt neceſſaria optimè inſtructus, non tamen

men ita moratus, vt doctoris Euangelij vita postulat, concionari non intermitteret: hic cùm videret concionarium suum populum infrequentem, & à maleuolis accepisset concionatorem nostrum (quod tamen falsum erat) sibi obtrectasse, tanquã à furiis agitaretur, quatuor gladiatoribus stipatus ad Collegium nostrum venit, vt cùm verbis tum factis æmulum suum vlcisceretur, meque, qui tunc Collegio præerã, tanquam amicum, à quo non vulgaria acceperat beneficia, conuentum cupiebat. Cùm ipsi obuiam prodiissem, dixit se cupere cum concionatore nostro in meo cubiculo colloqui, cuius voluntati parendum duxi, accercito ergo concionatore nostro, cœpit hospes concionator iniurias à patre nostro acceptas conqueri; & quamuis firmissimis rationibus omnia quæ objiciebantur à patre nostro conuincerentur, bonus hic vir ira obcæcatus, quod antea constituerat, gladiatorum quatuor, quos apud se habebat, opera perficere est aggressus. Ira itaque inflammatus, patrem his verbis compellauit: Hæc & hæc de me passim dicuntur, quorum si tu es auctor, es mentitus, tanquam scelestus religiosus, & talis ac talis filius: simulque manũ sicæ, quam occultè portabat, admouit; quod videns pater (tametsi natura sit feruentiori) tanquam

quam verus Societatis filius, ad mansuetudinē animique tranquillitatem se composuit, & ad furentis hominis pedes abiectus eos osculari voluit. Quod ego animaduertens, Deo præpotenti, quas potui, gratias agens, patri dixi: Rectè facit Reuerentia vestra, non se loco antea moueat, quàm ipsius pedibus osculū dederit, quod & factum est. Hoc inexpectato patris facto cōsternatus, ille ferro potiùs quàm Dei verbo armatus concionator se prostrauit, atque ad modum supplicis Societatem tunc sibi primū cognitam asserens, maledictorum suorum veniā petiit, meo iussu concionator noster hominem cum quatuor satellitibus ad Collegij ministrū, vt accepta merenda cum pace dimitterentur, duxit: pudore itaque fractus fuit ferreus ille cōcionator, quem ratio nulla sic vincere potuit, vt peccati sui deformitatem agnoscens, demissè & humiliter de se existimaret: nam bonis illis suis lanistis dixit. Cernite quàm feliciter mihi cesserit, quòd hos homines duriter tractarim, minacique dente eos perterrefecerim. Cæterùm hominis indomitam superbiam non multo pòst tempore Deus coërcuit: post biduum enim vnà cum concionatore nostro hominem adiui, quo ipsi rationes suggererem, quibus amissam de se apud populum existimationem recuperaret,

ret, is me viſo, non ſine perturbati animi certiſſimis indiciis, pater inquit, Deus te huc miſit tempore hoc opportuno, vide in cuius rei ſtudiũ incumbo, (legebat certi auctoris ſcripta de irregularitate) quo ſine irregularitatis periculo inimicum vlciſcar, conatus ſum auertere hominem à tam impia cogitatione, & me ad Collegium recepi, poſtridie illius diei incidit in morbũ, quo intra triduum eſt extinctus. Ego & cõcionator decumbentem ſæpius inuiſimus, & cùm morbus aliquantulum remiſiſſet, vtinam, inquit, eos vlciſcar, qui mihi infamiam intulerunt, continuoque animam efflauit.

Redeo ad occaſiones quas arripuerunt ſocij, vt Peruanis afflictis opem ferrent: Et quamquam de ſeditionibus, ſociorum opera ſedatis, multa commemoratione digna occurrant, cõtentus ero recitatione eorum, quæ contigerunt in populi motu, annis ab hinc paucis in Chito, quo tempore pro Rege Peruanis præerat Marchio Cauueræ, gratũ fuiſſe regi Catholico piæ memoriæ ſociorum laborem dubium eſt nullum, cùm litteris ſuis ad patrem Prouincialem, factum noſtrorum non ſolùm probarit, verùm & pio obſequio cùm ſibi tum reipublicæ præſtito gratias egerit. Res porrò hoc eſt geſta modò: Publicæ pecuniæ vrbis Chito præfectus dilapi-

lapidauerat portoria omnia, quæ in ſua habuerat poteſtate, ad imitationem filij prodigi, qui patrimonium ſuum diſſipauerat, ne verò accepti cogeretur rationem reddere, conſilium iniit cum quatuor aut 5 ſodalibus honeſto loco natis, ſibi morum improbitate ſimilibus: quorum fuit ſententia, vt quo tempore à regiis miniſtris vectigalia exigerentur, ipſi ad populum tranſirent, cui diſſuaderent tributorum ſolutionem, rationibuſque bonis, etiam ſi res poſtularet, cum vitæ periculo, omnem vim à plebe arcerent, & ſimul ſeditionem concitarent contra Præſidem & Senatum regium: quem omnem in Hiſpanias ad regem amandare conſtituerant, ſibique vrbis adminiſtrationem vſurpare; facti veniam (ſi qua in re peccatum admitteretur) ſe non modò poſſe conſequi arbitrabantur, verũ à Rege hoc nomine laudandos, quòd vrbem à Iudicum tyrannide oppreſſam liberaſſent. Hæc perditorum hominum coniuratio vſque eò eſt progreſſa, vt agros regios, qui paſſim Feuda nominantur, aliaque bona factioſi homines inter ſe diſtribuerent. Cùm veniſſet tempus ad ſoluenda tributa conſtitutum, plerique ex populo cùm ſcirent ærarij Præfectum eſſe ſummum quæſtorem, audacter negarunt ſe miniſtris regiis obtemperaturos, quod indignè ferẽtes miniſtri,

niſtri, cùm ipſum primarium quæſtorem, tum ipſius ſodales, & in cõiuratione ſocios peregrinos, comprehendi curarunt, quos tamen timore populi, qui defectionem minitabatur, perculſi, liberos mox abire permiſerunt, atque Proregem, qui nongentis aberat paſſuum millibus, de ſeditione excitata certiorem fecerunt, qui militum ductorem ſtrenuum miſit cum turma eorum, qui inter pugnãdum maioribus vtuntur ſclopis, (quos nouo vocabulo Muſchetarios appellamus) quo magiſtratus ciuilis auctoritas contra populi furorẽ ſarta tecta conſeruaretur: & ſeditionis auctores temeritatis ſuæ iuſtas pœnas de ſententia Senatus regii ſubire cogerentur. Poſtquam coniuratorum Principes manum illam militum à Prorege miſſam eſſe iter ingreſſam intellexerant, varia excogitarunt artificia, quibus populũ ſic irritarunt, vt quingenti ſe armarint, qui belli ductorem, de cuius tyrannide graues fuerãt ſparſi rumores, in ipſo itinere conficerent: quo verò maiore aſtu, minoreque inuidia res hæc omnis tranſigeretur, magiſtratus ciuilis opem implorarunt, qui maius timens malum ſi obſiſteret, tempori cedendum duxit: Iuriſconſultum creauit iudicem, quem cum religioſis aliquot obuiam ductori militum miſit, quo ei perſuaderetur, vt ab imminen-

minente cùm ſibi tum vniuerſæ turmæ periculo ſe ſubtraheret;recepit ſe itaque belli ductor in locum munitum & commodum ad ſubſidiũ à Prorege ſi opes eſſet accipiendũ, in quo ſe cõtra coniuratorum impetum optimè tueri poterat. Præſes conſilij regii intellcxerat, ex certis indiciis,ærarii Præfectum fuiſſe coniurationis principem architectũ , quare promiſſis & muneribus tantum effecit,vt hominem à populo ad ſuas partes pertraxerit , quod vbi ſocii quæſtuarii coniurationis Principes intellexerunt, timore perterriti ne ipſius defectio ſociis malum aliquod magnum crearet,plumbeo globulo eũ grauiter nocturno tempore vulnerarunt, vnde ipſius poſtea ſecuta eſt mors:facinoris verò culpam in conſilii publici Præſidem deriuarunt, ipſo enim auctore occiſum quæſtorem regium populo perſuaſerunt : facilè enim perſpiciebãt, vulgi animos antea irritatos poſſe hac ratione à Senatu regio abalienari , quod & factum eſt: nam populus impetu facto in domum Præſidis, ipſum captiuum in carcere dies non paucos detinuerunt. Vt verò Senatores omnes aut interimerentur,aut ſanè in carcere includerentur,ſeditionis Principes rumorem ſparſerunt de ſeditione facta à ciuitate Cuzco,deque Prorege in carcerem contruſo. Et ne rei veritas populo pateſ-

pateſceret, quam potuerunt maximam adhi-buerunt diligentiam. E Societate quidam Cuz-co veniebat Chito, vt Collegii noſtri eſſet Re-ctor, cuius gratiam ſunt aucupati, ne ab eo po-pulus, quid apud Cuzco ageretur, diceret; ne-ve de iniuria Deo præpotenti & regi facta re-prehenderentur: proceſſerunt ergo patri noſtro obuiã mille armatorum hominum comitatu, & ſæpius per vrbem, eadem celebritate homi-num armis inſtructorum comitati, euntem ho-neſtarunt. Sed pater, vt multis occurreret incõ-modis, ſe in Collegio continuit, deque pace in-ter Senatum regium & coniurationis Principes facienda ſeriò agere cœpit. At homines turbu-lenti, cùm pacis nomen audire recuſarent, ma-gnum populi in ipſum ſtruere ſunt conati o-dium, ipſius pium ſtudium infamare non veri-ti, eum dicentes cognatione cum Prorege con-iunctum: ciuibuſque Cuzco graue impoſuiſſe vectigal, à Prorege præterea mandata attuliſſe ad Senatũ, vt ex iis, qui ſeditioſorum factionẽ erant ſecuti, ſeptuaginta extremo afficerentur ſupplicio. His perditorum hominum calum-niis eſt factum, vt Rector venerit in odium po-puli minitantis ipſi neſcio quæ horribilia, & propterea non poterat tutò in publicum pro-dire. Cæterùm poſtquam intellexiſſet pleroſ-
que

queex iis, qui coniuratorum factionem sequebantur, esse coniurationis ignaros, & errore captos, pro seditiosis contra magistratum regium stare, diligenter cum animo suo perpendit, in quanto salutis periculo plebs, ignara fraudis & malitiæ, istorum cõiuratorum versaretur; quomodo item sociorum, quòd nullum periclitãti populo auxilium tulissent in hominum salute procuranda, studium & diligentia multis rebus perspecta, à viris probis in dubium vocaretur; ad extremum charitate Christiana conscientiã stimulari suã, & excitari ad afflicto populo subueniendum, cùm sentiret, patribus Collegij dixit, officii sui munus hoc à se postulare; vt populo, paucorum hominum fraude ad defectionem concitato, errorem eripere pro virili conaretur, quamuis propterea non exiguũ vitæ discrimen subeundum esset, cũ vitæ huius mortalis cura posthabita populi salus & quies à sociis sit diligenter procuranda. Collegii patres omnes in Rectoris sui ierunt sententiam, iudicabãt quippe è Republica fore, vt in publica vrbis platea ex nostris aliquis cõcionem haberet, (nã solẽne nostris erat in ipsis plateis ad populũ verba facere) impiorumq́; hominum, qui astu tantum apud plebem profecerunt, vt patres patriæ passim dicerentur, nefarias fraudes pate-

faceret: hoc patrum noſtrorum conſilium ad coniuratorum aures peruenit, qui Rectori iuſſerunt renunciari, ſi pedem Collegio efferret, ipſi globuli plumbei ictu eſſe ſtatim pereundũ. At Rector (cui dies ille, D. Ioanni Chryſoſtomo ſacer, memoriam rei fortiter & animosè ab eo geſtæ attulerat) cauſæ æquitate nixus, non dubitabat, quin Deus contra improborum hominum vim eſſet auxilium laturus; internuncio reſpondit, coniuratorum minas olêre hæreſim: ſi ergo hæretici eſſent, vt apertè palamque dicerent, cùm non deeſſent rationes, quibus hoc hominum genus tractari debeat. At illi ſe bonos eſſe Catholicos dixerunt, & propterea non ſe, verùm magiſtratum regium indigere concionum: cæterùm ſi vel vnum ex ipſius ore verbum exiret, de iis que tunc temporis in vrbe fiebant, ſe curaturos vt globulorum ex ſclopis emiſſorũ imbre tectus ex ſuggeſto mortuus in terram decideret. Verumenimuero pater poſtquam negotium hoc totum coram ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramẽto Deo ardenter precibus commendaſſet, ſociuſque, ipſo iubente, Chriſti Domini in cruce pendentis imaginem ſecum occultè ſub pallio deferendam ad concionem accepiſſet, in patrum noſtrorum aliorumque ſacerdotum amicorum comitatu
ad

ad plateam peruenit,in qua cùm ſuggeſtum, ex quo noſtri ad populum conciones habere conſueuerant, non reperiſſet, à Decano & Archidiacono ad Cathedrale templum eſt deductus, quod ilico propter rei nouitatem hominum frequentia complebatur,de improuiſo ſermonem exorſus eſt his verbis: Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio contra gentem iſtam,&c. grauique oratione pœnas, quas Deus in Niniuitas conſtituerat, ex Ionæ vaticinio eſt proſecutus, ſimulque recenſuit incommoda difficultateſq;, quibus ciuitas Chito antea fuerat afflicta, quæ in ludicris, ſi cum præſenti ſtatus publici perturbatione comparentur, meritò, inquit, nominari debent: nam dæmon, qui perpetuò hominibus inſidiatur, eorum, qui falsò patriæ patres appellabantur, aſtu & fraude populum ad calamitoſam ſeditionem impulit; ex qua nihil eſt expectandum præter vrbis direptionem, honoris, vitæ, & fidei Catholicæ turpē amiſſionem, nam coniurationis Principes cum Anglis fœdus nefarium fecerant: horum omnium teſtem inuocauit Deum immortalem, ſeditioſoſq; ad diuinum tribunal citauit: Quòd ſi tumultuari non deſiſterent, ſe ex calceis ſuis reiecto puluere accepturum ſanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum, & cum Collegio vrbe exceſſurum ſe-

rio affirmauit: non enim decebat viros religio-
sos, qui ex officij sui munere aliorum salutem
procurabāt, cum seditiosis, apertis Dei Regisq;
sui perduellibus, eandem vrbem incolere. Dicta
sunt hæc omnia oratione graui, quæ ex animi
intimo dolore profecta, sic occupauit totius cō-
cionis sensus, vt populus certa mutati animi si-
gna daert. Christi Domini imaginem à socio
acceptam in manu tenens, ciuitatem omnem,
inprimis fœminas, quæ in viduitate & solitudi-
ne vitam agebant, & infantes pupillas Deo cō-
mendans populo fletum mouit, adeò vt ma-
gna voce lachrymarū vim profundētes, diuinā
misericordiam implorarint: tantus fuit in tem-
plo hominum dolentium fletus & eiulatus, vt
nulla potuerit ratione Rector sibi amplius au-
dientiam facere: mox atque è suggesto descē-
dit, ex Ordine Prædicatorum vir pius & doctus
eum amplexans, altiusque è terra paululū tol-
lens, Deus te, inquit, tempore hoc opportune
misit, vt populo salutem adferres, nos verò ca-
nes muti fuimus; idem dixerunt qui aderant sa-
cerdotes ad vnum omnes, à quibus ad Collegiū
est deductus; populus mox ab armis discessit,
quæ postea nulla ratione sumere voluit: Vix ef-
fluxerat bimestre spatium, cùm coniurationis
principes, sibi certissimum imminere pericul-
capi-

capitis cernentes, populum ad nouam seditionē solicitarent: At nihil promouerunt, nam pauci tum peregrini, qui coniurationis erant reï, & de sceleris sui venia impetranda desperabant, motum Reip. afferre tentarunt. Perspicuum est ergo populum, coniuratorum fraude circumuentum, à perduellionis crimine fuisse immunem, cùm patefacta fallacia statim arma abjecerit, ad quæ denuo capienda, nulla consceleratorum machinatione adduci potuit: verùm in fide, quam Regi dederat, semper constans permansit. Concilii publici Præses vbi intellexit concionis ad populum habitæ fructum non vulgarem, Rectori gratias egit, de singulari obsequio, primùm Deo deinde Regi præstito, maximè eo tempore, quo regii ministri omnes in summo timore periculoq;, propter suorum aduersariorum potētiam & audaciam, versabantur. Postquam ciuitas ad pacatum hunc statum fuit ducta, liberum fuit ductori militū, cuius antea memini, vrbem ingredi, & de consceleratis nonnullis supplicium ex legum præscripto sumere. Paucis pòst diebus quàm hæc gesta sunt, rogatu patris prioris Prædicatorum, & Rectoris Collegii Societatis, concilii Præses ad Proregem scripsit, vt vniuerso populo animaduersionem omnem remitteret condona-

retque, qua in re ſe Prorex facilem præbuit, reſcribens vt de ſuggeſto Collegii Rector hanc impunitatem veniamq; errati, à populo in ſumendis armis commiſſi, omnibus datam pronunciaret, quod & factum eſt. Fidem præterea publicam eodem tempore acceperunt coniurationis principes, qui in Hiſpaniam in exilium amandati, cùm in portu nominis Dei ſe ad nauigandum pararent, ruina conclauis, in quo cōmorabantur, oppreſſi omnes interierunt. Apud Chriſtum Dominum, ſanctiſſimum iuſtiſſimūque iudicem, (ad cuius tribunal P. Rector eos, vt ſuprà eſt dictum, citauerat) concitatæ ſeditionis rationem reddere ſunt coacti, cùm ipſorum princeps quæſtor primus, globulo plumbeo traiectus, ab hominibus antea demigraſſet. Omnes ergo coniurationis principes intra breue tempus calamitosè vitam amiſerunt: vnde conjicere licet, quàm ſint grauia, quæ à ſeditioſis hominibus in rempublicam committuntur ſcelera.

Dicendum eſt deinceps de iis, quæ à ſociis geruntur in Tucuman, & in ſancta Cruce della Serra, quę ex litteris adiunctis Lector facilè aſſequetur.

Ex

Ex litteris patrum Ioannis Romero & Gaſparis di Monroy ex Tucuman.

EX vrbe Salta ad R. V. ſcripſimus, nos conſtituiſſe in Prouinciam Calquachorum ingredi, & ſimul patefecimus, quas nobis dediſſet vias Deus, quibus, in magnis inter Idolorum cultores conſtituti periculis, nos ſaluos & incolumes conſeruemus. Dum inter nos de hac peregrinatione ageremus, tanta cõplebamur voluptate, quanta litteris explicari non poteſt: ſuſceptum equidem onus, quod hoc maximè nomine fuit nobis gratiſſimum, quòd hominum Societatis inprimis videretur proprium, pro virili diuino fauore adiuti ſuſtinere conabimur, maximè ſi R. V. ad Deum acceſſerint feruentes preces, quibus Numinis nobis ſingularẽ opẽ impetret. De noſtro verò, in labore inchoato, ſcribendum duximus progreſſu. In Calquachorũ finibus reperimus Chriſtianos, qui multis annis peccata ſua confeſſionis Sacramento non expiauerant, quos audiuimus Chriſtiano ritu confitentes, & decem aut duodecim baptiſmi Sacramento ad Chriſti Eccleſiam adiunximus: fluuium rapidiſſimũ vbi tranſiuiſſemus, & quindecim paſſuum millia pedibus confeciſſemus, incidimus in populũ legis diuinæ prorſus ignarum, cuius Curaca ſeu Caput nomine

Don Franciſcus Chriſtianus erat; ſeptem dierum ſpatio ad Chriſtianorum inſtitutum erudiuimus centum viginti nouem, quos baptiſmi Sacramento initiauimus, pleroſque item legitimo matrimonio coniunximus, qua in re, cum nobis ipſi, cùm labores noſtros optimũ habere initium cerneremus, tum militiæ Chriſtianæ tyronibus abundè ſatisfecimus. Ad populi alterius ſedes penetrauimus, vbi cùm mortalium eſſet nemo, ſolitudo nobis fuit præter modum ſuſpicioſa, ſuſpicionem verò apud Don Ioannem alioſque duos itineris comites auxit aſpectus crucis, quam populus fixerat, vt noſtrum aduentum ſibi fore gratũ indicaret, ſagittis cõfixæ. Poſtquam Deo rem hanc omnem commendaſſem, exiſtimauit Don Ioannes ſibi cum duobus Indis eſſe ad incolarum agros, in quibus ſatæ erant fruges, eundum, quod & factum eſt: nos verò, vt vſque ad mediã noctem itionis huius exitum expectaremus, quod non ſine moleſtiis angoribuſque fecimus, quamuis de ſubſidio diuino confiſi bene ſperare non ceſſaremus. Rediit Don Ioannes, poſtquã populum omnem reperiſſet, occupatum in abigẽdis paſſeribus & Pſittacis à ſemine per terram ſubactã ſperſo: quem prima luce adfuturum noſtra de cauſa dixit: Venerunt ergo Indi cum guber-

natore ſuo ad tempus præſtitutum: quibus primo congreſſu de noſtri in oras illas aduentus cauſa diſſerentes, negauimus nos propterea iter hoc ſuſcepiſſe, vt diuitias nobis cōpararemus, aut vllis vitæ huius commodis potiremur; cùm hoc ſolum nobis fuiſſet propoſitum, ipſis veri Dei, à quo fuiſſent creati, cognitionem tradere, ſimul & modum, quo ipſo frui poſſent: vt tandem à dæmonis tyrannide in libertatē vindicati, & à ceruicibus ſuis ſeruitutis iugo, quo à veneficis ſuis premebantur, dejecto, in conſpectum numinis admitterentur, vbi immortaliter gauderent. Imo nos in animo habere diximus, & ipſos veneficos in eū euehere dignitatis gradum, vt filii Dei euaderent. Quare operæ pretium eſſe, vt omnes in vnū locum congregarentur, quo faciliùs veritatis doctorem, ſalutaria omnibus præcepta explicantem, audirent, &c. Attentiſſimè verba noſtra audierunt, homines admiratione obſtupefacti, quòd ſuæ ſalutis procurandæ cauſa nos tot objeciſſemus periculis & incommodis, dum flumina tranſiremus, monteſque niue tectos, alioſque in patriam ſuam difficiles aditus ſuperaremus. Cùm poſtea expoſtularemus, cum Curaca de cruce ſagittis confixa, quam populus in ſignum pacis fixerat, poſtquam à nuncio, quem miſera-

mus, de nostro aduentu certior reddebatur, vehementer sibi factum hoc displicuisse ostendit, & in sceleris auctorem, quamuis frustra, cū nemo repertus fuerit, studiosè inquisiuit: Nos quidem conjicimus, aliquem ex veneficis, qui apertum cùm nobis tū Euangelio bellum indixerunt, hoc scelus fecisse. Vt summatim dicam, omnem populum, qui Capitibus cōtinebatur ducentis, baptismi Sacramento expiauimus. Exultabant omnes lætitia, cùm nos audirent sua lingua cantantes orationem Dominicam, & doctrinam Christianam, imò concinebant, cùm ante crucem, cui debitam tribuebamus venerationem, consisteremus: Confestim & sine vlla mora misimus ex Christianis aliquos manibus portantes cruces, ad regionis huius dominos, (qui patria lingua appellātur Cacichi) quibus nunciarent, nos aduentare eo fine, vt ex seruitute dæmonis per baptismi Sacramentum eos ad Euangelij libertatem traduceremus, & propterea nos vehementer cupere, vt inimicitias, quas inter se gerebant, simpliciter & candidè ponerent; & dehinc à bellis & seditionibus, quibus sibi mutuo afferebant interitum, se abstinerent. Ad nos accurrerunt populi vicini Capita seu Curachi, vt in patriā suā ducerent: Quare valedicendum fuit illis, quos

Chri-

Christo adiunxeramus, postquam eos in religione Christiana erudiuissemus; & supplicatione singulari diem festum celebrantes, Deo immortali pro collatis in populum beneficiis gratias egissemus. Peruenimus ad locum, quem Dæmon tanquam præstigiarum suarum omnium arcem delegerat: nihil enim reliquit intentatum, vt in ea quam occupauerat animarũ possessione permaneret. Sed pro nobis pugnauit Deus præpotens, qui omnẽ rerũ creatarum potentiam pro sua voluntate arcet & continet, dæmonisque contra hominum genus iniquas molitiones disturbat dissipatque. Immoderatas tempestates, pluuias, ventos, terræmotus, periculaque alia, quæ bidui itinere per viam ferè præcipitem & lubricam, montesque altos atque siluestres, adiuimus, certo numero complecti poterit nemo: at Christus Dominus, qui nos ex omnibus his malis eripuit, labores nostros ipsius causa susceptos abundè compensauit, cũ eam populo Pimbu hanc mentem dederit, vt nos hilari ipsi lætiq; honorificè acciperent: ornarunt vias publicas portis triumphalibus, florentibusque arborum ramis, nobisque obuiam supplicantium more cruces illis, quas ad ipsos misimus, similes manibus portantes processerunt: nos verò ante præcipuas cruces genibus

nixi

nixi Deo immortali, quas potuimus maximas, egimus gratias, quòd Diaquiti (ſic paſſim populus ille appellatur) animi ad Chriſtianã ſuſcipiendam religionẽ propenſi ſigna dediſſent certa, turbamq́ue ordine progredientem ad plateam, canentes orationem Dominicam, ſumus ſecuti, vbi verba ad eam fecimus, & poſtquam vernacula ipſorum lingua in Dei laudem aliqua ceciniſſemus, ad hoſpitiũ perreximus: Allatæ ſunt nobis radices boni ſaporis, quibus populus paſſim veſcitur, ſimul cum gallo gallinaceo, quo munere aliud eſſe nullum maius gens hæc exiſtimat, quo ſuam erga nos beneuolentiam teſtari poterat, cuius cantu antelucanis horis ad Deo perſoluẽdas debitas laudes exſuſcitamur: poſtquam prandiſſemus, nos inuiſerunt duo Curachi cum decem Indis Diaquiti vicinæ gentis, qui vultu fero & veſtitu vario aſſpicientes perterrefaciunt, capillati incedunt, ſic vt crines lõgos ad fœminarum morem tortos in humeros habeant reiectos: caput verò filo laneo cingunt, in quo figunt multas plumas verſicolores, frontem vſque ad oculos colore nigro tingunt, reliquam vultus partem ſexcentis coloribus depingunt, vultu corporiſq́ue magnitudine vaſti ſunt & agreſtes, aſpectuq́ue terribiles, à ciliis vſq́ue ad cingulum pendent ipſis bini

bini funiculi coloris purpurei. Ipſorum amictus eſt induſiata oblõga, quæ à collo cùm fœminarum tum virorũ pertingit ad pedes: cincti in prælium prodeunt & ad venationẽ, cumq́ue peregre eſt proficiſcendum: arcum cum pharetra, in qua ſunt ſagittæ amplius quinquaginta, ſemper portant: putantur milites eſſe valentes & ſagittarii optimi: Ex brachio dependent quaſi lactucæ ex lana rubra: cùm reliqua brachii pars vſque ad cubitum ſit planè nuda: pro calceamento ſandaliis vtuntur: Cœperamur, ſtudium noſtrum explicare, quo tenebamus, ipſorum ſalutis, vt liberi ab idololatriæ tenebris filii Dei fierent, à quo ſunt creati, cuiuſq́ue prouidentia opeq́ue ſuſtentantur, quo habiles ad ſuſcipiendum baptiſmi Sacramentum redderentur. Reſpondit ex iis Curacha ſenex, patrios noſtros mores deponere, capilloſq́;, vt alii faciunt, abradere nolumus. Qui paucis antè diebus ſe ad Chriſti Eccleſiã adiunxerant Pulari & Chubaïni ad imitationem Indorum, qui incolunt Peru, ſibi totonderant capillos, quo facto teſtabantur ſe candidè Chriſtianam amplecti religionem. Hoc ergo Chriſtianorum factũ Curacham mouit, vt de capillis ſermonem haberet. Cæterùm non propterea deſtitimus ipſos adhortari, vt ea præſtẽt quæ ſunt neceſſaria,

vt in bonis Christianis numerarentur, maximè cùm hac sola de causa laborem sanè permolestum in longo & difficili itinere conficiendo suscepissemus. Ite, inquiunt ipsi, ad terras nostras, infantesque pueros baptismo abluite. Nõ tantùm puerorum, verùm & hominum prouectæ ætatis commodis nos studere diximus, & propterea si Dei vellent esse filii, necessum esse, vt singuli viri singulis vxoribus essent contenti. Quod ad capillamenta attinet, etsi nobis gratissimum foret, vt aliorum Christianorũ more ea abradatis, tamen peccatum est nullum, longos habere capillos: sed occasio vos prouocãs, vt inimicitias cũ aliis suscipiatis, & in mutuas cædes, contra Dei præceptum, scienter magno vestro malo ruatis. Nos porrò negotium hoc de abradendis capillis vestræ relinquimus voluntati, modò iis, quæ intellexistis, & postea fusiùs estis intellecturi, Christianæ doctrinæ pręceptis diligenter obtemperetis. Hoc præterea scitote, post susceptum baptismum non licebit vobis capite tecto adesse, cùm sacerdos sacrosanctum Missæ Sacrificium facit: decórum nãque postulat, vt sempiternum Numen detecto capite reuerenter eo tempore, quo fit res diuina, colatis: nihil tamen obstat, quo minus capitum vestrorum tegumenta, quæ pennarum cõ-

textu

textu vobis paraſtis, manibus teneatis veſtris. Superbè autem & arroganter (quod mirum nō eſt, cùm ſuperbiæ vitio Diaguitæ ſint notatiſſimi) reſponderunt, ſe nolle cultum ornatumque corporis mutare. Nos verò, vt ipſos nobis beneuolos faceremus, curauimus vt quietem cum cibo apud nos caperent, adeò vt amabiliter à nobis dimiſſi domū redierint. Curachorum ad nos aduentus noſtro iudicio, & poſtea vt ab aliis intelleximus, reipſa habuit ſuſpiciones periculi, ſed miſericors Deus animos ipſorum voluntateſque mutauit. Rem omnem cū Dō Ioanne itineris comite communicauimus, nam magnam deprehendimus in ſuſcepto negotio difficultatem, Indorumque, in quorum ſalutem incumbere ſtatueramus, animos à nobis abalienatos. Solicitudinem porrò noſtram auxit recordatio interitus Hiſpani nobilis, qui cum fratre ſuo germano, certi cuiuſdam Ordinis Religioſo, ab hoc populo quinque abhinc annis miſere erat trucidatus: non inficiamur, quin duo illi Hiſpani necis ſuæ anſas dederint. Omnium qui ſimul eramus ſententia fuit, maius nobis imminere periculum, ſi ab incœpto itinere, ad ea vnde venimus loca, redire tentaremus, quàm ſi, vt facere conſtitueramus, progrederemur. Suſpicari enim potuiſsēt Indi, regreſ-

ſus

ſus noſtri non aliam fuiſſe cauſam, quã vt Hiſpanos accerſeremus, qui ipſorum erga nos inſolentiam caſtigando, populum omnem occiderent. Huc etiam acceſſit populi huius, quem, vt ſuprà diximus, aduentus noſter tantopere delectabat, & Curachæ ipſius non leuis perturbatio, imò à nobis aliqua abalienatio, poſtquam Curachos illos Diaguitas nobis duriùs reſpondiſſe animaduerterant. Nos verò ſpẽ noſtram omnem in Deo collocauimus, qui eã Diaguitis mentem dedit, vt poſtridie eius diei ad nos redierint, ſubmiſsè rogantes, vt ſibi ignoſceremus, quod pridie arroganter & ſuperbè locuti fuiſſent, cuius rei hanc fuiſſe cauſam dixerunt, itineris labore defeſſi, vt ſitim explerent ſuam, ebrii ſunt facti, adeò vt quid loquerentur planè neſcirent: At ſicci, ita vt ſuo libere poſſint vti iudicio, ſe noſtrorum voluntati in omnibus obtemperaturos, cùm Deum vocantem ſequi in animo haberent, Chriſtianorumq́ue ritu & more viuere: præterea ſe dolere quòd ad alias gentes abire cogitaſſemus, cùm in illis locis non tantùm ipſorum populares, verùm & gens vicina Euangelii luce frui cuperet. His auditis animos ereximus, Deumq́ue mutationis huius auctorem agnouimus, cui illud Dauidis diximus: Lætati ſumus pro diebus quibus nos

humi-

humiliasti: diuinitus ſiquidem eſt factum, vt quæ res erat difficillima, facta ſit facilis: Quare dubium non eſt, quin prouinciæ huius Angelus operam ſanè clientibus ſuis ſalutarem apud diuinam maieſtatem præſtiterit: de Ioſepho, quem peregrinationis noſtræ elegimus patronum, idem exiſtimare debemus: & de ſanctiſſima Dei genitrice angelorũ Regina, quin & ipſa ſuis ad filium ſuum Ieſum precibus populum hunc vehementer iuuerit, dubitare poterit nemo, qui ſtudium & amorem, quo ipſa mortales in miſeriis conſtitutos proſequitur, perſpectum habet. Manum operi mox admouimus, nam fidei noſtræ rudimenta populo diligenter explicauimus, quem vbi ea, quæ Chriſtianus neceſſariò ſcire debet, didiciſſe animaduertiſſemus, per baptiſmi Sacramentũ ad Chriſti Eccleſiam adiunximus: Magna cum beneuolentia nobis idem populus, quæ ad victum opus erant, ſuppeditabat, mel nimirum, terræque illius, qui paſſim comeduntur fructus. Progreſſi ſumus ad aliam gentem, vbi non defuerunt timoris & ſuſpicionũ occaſiones: At Deus hac ratione nos exerceri voluit, vt re ipſa ſciremus, bonum omne à diuina ſua Maieſtate in mortales proficiſci. Hactenus ſunt à nobis baptiſmo initiati 1040, & legitimo iuncti matri-

monio 280. Viuit hæc gens mirificè Christiano instituto contenta, cui sic adhæresćit, vt cũ domi tum foris diuinas laudes, quas à nobis didicit, canere non cessat, frequenterque doctrinæ Christianæ secum ipsi repetat memoriam. Ab hac gente digressi venimus Atuchigastam, qui locus est Diaquitiorũm idololatrarũ, qui mox vt nos ad se aduentare intellexerunt, nõ solùm viam 10 aut 12 millium passuum, per quam iter nobis faciendum erat, munierunt: verùm & nobis obuiam saltantes præ lætitia venerunt, Cruces in manibus portantes, floresq; & frõdes viridésque herbas spargentes, quod propè incredibile & portẽti simile iis videbitur, quibus superbia ferocis huius populi satis est cognita. Sed manus Domini fecit hoc, cuius tanta fuit vis & efficacitas, vt studio addiscendi doctrinam Christianam, & se ad baptismum ritè suscipiendum comparandi, gens hæc cæteris, quas in hoc itinere adiuimus, antecelleret. Ad vnum omnis populus baptismo fuit initiatus, cuius exemplũ secuti sunt vicini finitimi. Nemo est omniũ, qui idololatrarum superstitiones non aspernetur, qui capillos non tondeat; & à vultu depingendo se non abstineat, nã facies ipsorum depictæ redolebant immanis bestiæ feritatẽ: Cõtenti sunt prætcrea vnius vxo-

ris consortio, qui antè domi alebant concubinas duas: Deorũ suorum simulachra nobis ad comburendũ attulerunt: sempiterni verò Numinis laudes canere non intermittunt. Dum, peractis apud certam gentem Sacramentorum baptismi & matrimonii cerimoniis, occuparemur in ordinando populo, qui in supplicationem erat prodíturus, renuntiatũ est nobis, veneficos noctem insumpsisse in dæmonio inuocando apud fanum quoddam execrandum, ad idolorum cultũ olim dedicatum. Grauiter hac de re cum Indis expostulando eos monuimus, vt flexis genibus pectora sua pulsarent, Deumque supplices rogarent, ne pœnas à Deo tam immani sceleri constitutas péndere cogerentur. Nostris monitis mox omnes paruerunt, Dei misericordiam inclamantes. Negauimus insuper nos antea rem diuinam facturos, aut in supplicationem prodituros, quàm domus illa, in qua dæmon colebatur, funditus euerteretur: quod vbi audierunt noui Christi milites, magno animi ardore buccinis & aliis musicis instrumentis canentes, nõ priùs quieuerunt, quã delubri cineres viderent. Sit nomen Domini benedictum. Cruces passim fiximus, ad quas conueniunt Christiani, vt preces suas Deo offerant, & mortuorum corpora hument. Desi-

gnati ſunt certi homines dogmatum fidei noſtræ præ cæteris intelligentes, quibus eſt hoc impoſitum officii munus, vt populum ad audiendam doctrinam Chriſtianam conuocent, pueros puellaſq́; deligant, quibus eandem doctrinam recitantibus, omnes qui adſunt aures hodent ſuas, cum ea quã poſtulat Chriſtiani hominis inſtitutum modeſtia & attẽtione. Scripſimus cùm R. Epiſcopo, tum Gubernatori, vt initia hæc religionis Chriſtianæ bene Dei beneficio poſita ipſi conſeruent augeantq́ue, quo Neophytorum pietas in dies magis ac magis creſcat. Quòd ſi cultores vineæ huius idonei mittantur, omnes incolæ cõuallis Calchaci deſerta idololatria Chriſtianam complectentur Religionem. Societatis verò noſtræ homines optabilem hîc reperient meſſem: Non deerunt equidem difficultates variæ, quas augere nobis poterit inſita quædã timiditas, quare verę dicemus: Quotidie mòrimur. Cæterùm in mediis vitæ periculis ſpes, quam in Deo repoſuimus, viuit, cùm omnia in ipſius eſſe poteſtate certò ſciamus, & propterea mortem ipſam contemnimus. Animos præterea nobis addit cogitatio matris noſtræ, cuius vbera ſuximus: & operis præclari quod tractare cœpimus magnitudo. R.V. cum aliis ſociis omnibus nos Deo, ſi pla-

placet, in suis sanctis Sacrificiis & orationibus commendet. Ex itinere S. Iacobi, 23. Ianuarij, 1601.

Littera Petri Andreæ Ortiz, scriptæ in sancta Cruce della Serra.

ACcepi R. V. litteras quæ mihi magnum certè solatium dederunt, nam ex iis intellexi aduenturos laboris in hac vinea excolenda socios, quorum præsentia mihi hoc tempore esset inprimis vtilis, cùm præter quotidianos labores, in quibus cũ vrbis huius ciuibus me exerceo, menstruas instituã ad vicinas gentes excursiones. Cæterùm tantam non potui adhibere diligentiã, quin multi è vita absque confessionis Sacramẽto migrarint, & nuper ex pectoris dolore mortui sunt complures. Ex Indis præterea multi ad montosa confugerunt loca, quæ hinc 120 millia passuum distant, quos Hispani ad antiquas sedes & domicilia reduxerunt; breui verò tẽporis spatio, baptismi Sacramento initiauimus quingentos. Nonnulli sine baptismo sunt mortui, quibus propter occupationum magnitudinem frequentiámq; nulla ratione potui succurrere. Infantium puerorũ magnũ numerum morbus ille pectoris, qui regiones has peruaserat, magno ipsorum bono nostróque solatio non mediocri cõsumpsit; laudandus est Deus, quibus possumus laudibus, quòd ex idololatriæ spinis,

 pro-

procrearit roſas iucundi odoris, quibus cæli hortus amænisſimus ornatur. Hæc eſt carisſime Pater noſtra his in locis meſsis, quæ nos hilares facit & animoſos, vt neque animi neque corporis laboribus vllis pro Chriſto Domino ſuſceptis defatigemur. Cùm inuiſo populum, & deprehendo aliquẽ ex iis, quos pridie illius diei baptiſmo tinxi, ex viuis migraſſe, incredibili afficior voluptate: nam certò mihi perſuadeò, eorum qui poſt ſuſceptum baptiſmum moriuntur animas in cælis ſempiterno æuo perfrui: quare hoc nomine Deo gratias ago, quòd mei miſelli hominis opera ſit vſus, vt ſalutem iis, qui antea in idololatriæ tenebris vixerant, impertiretur. Hæc ſunt quæ occupamus honorificentisſima ſuggeſta. Hæc eſt illa quã optamus ſimila, & meſsis multis partibus vberior maiórque quã apud Hiſpanos, qui numero ſunt pauci, ſi cum Indorum multitudine comparentur. Perficiat Deus, vt in ſempiternum Numen amore inflammemur. Amen.

Litteræ P. Dieghi Samaniego ex ſancta Cruce della Serra.

PAx Quiringanorum (qui homines ſunt montani) indies confirmatur. Iuricari (natio eſt ante hoc tempus incognita) ex ſuis aliquos miſerunt, qui Societatis patres inuiſerent: quatuor verò municipia cum ſuis Cacichiis ſe imperio Re-

gis

gis Hispaniæ subijcere cupiunt, quare facilis erit ratio ipsis persuadendi, vt baptismo initientur. Triplex ex hac parte prodibit fructus, ísque non contemnendus, & certè Dei singularem erga gẽtem hanc in hac pace facienda agnoscimus beneuolentiam, cùm hactenus nulla humana vis eam potuerit ex patrio solo extrudere. Primus ergo pacis fructus est salus Indorum, cùm patrum tum filiorum, qui in Christianorum sunt cooptãdi numerum, quíque ad Hispanorum vrbes migrabunt: Alter, quòd per nationis huius agros facilior sit ad regnum Peru aditus, quàm per terras Ciriguanæ & Iuracari, qui sunt gentes barbaræ & immanes. Tertio verò loco patefaciet hæc pax ianuam multis nationibus, in primis Chiucchi, Amostri, & Moparococi, per quã poterunt in Christi Ecclesiã ingredi. Ab his autem, qui ad nos venerunt, cognouimus hæc municipia, quæ Hispanorũ expetunt amicitiam, grauiter à vicinis nationibus vexari, & propterea se in Hispanorum, per quos acceptas iniurias vlcisci cupiunt, clientelam tradere. Ratio hæc est optima propagandi imperiũ Regis Hispaniæ ad morem veterum Romanorum, qui auctore D. Augustino à nationibus, quas gentes aliæ oppressas & afflictas tenebãt, vt opem ferrent vocati, non tantùm ab innocentibus iniuriã propulsarunt, verùm seruitutis iugum illos, qui nefa-

nefarium innocentibus bellum intulerant, subire coëgerunt: cum iis autem, quibus auxilio fuerunt, vt pristinam libertatem reciperent, societatem fœdere perpetuo confirmare in more habuerunt. Hæc ratio erit facilis addducendi has nationes ad Christianorum viuendi morem, quam tenuerunt, qui Tamacoci & Gerei gẽtibus auctores fuere, vt Christiana sacra in hac Prouincia amplecterentur. Deus dat mortalibus varias vias perueniendi ad rerum cælestium cognitionem, vt variæ gẽtes gloriam consequantur immortalem. Hæc scripsit bonus pater Dieghus de Samaniego, vir qui à prima ætate studio propagãdi Christianã Religionẽ arsit, & annos amplius 60 natus sic ardet, vt nõ minùs iudicetur in laborando acer, quã si nunc primùm ad negotium hoc operosum aggrederetur. Vehementer expetit omniũ primus, per hanc, quæ nunc patet, ad varias nationes portam ingredi. Quarum regio, vt nobis persuademus, erit noua ampláque prouincia Peruana: patet namque ab ingenti monte, cui est nomen Cordigliera, in finibus prouinciæ Liarchionũ, vsque ad prouinciã Chito, & à nouo regno vsq; ad littus maris, quod est ad Septentrionem. Deus immortalis faxit, vt sub Crucis vexillo gentes has omnes videamus in Christianæ militiæ disciplina se exercentes. Binas vno tempore à V. R. accepi litteras, quæ diu multum-

tumq; à me expectatæ vberem gaudij non mediocris mihi ſuppeditarunt materiam: vbi verò ſaluus & incolumis venerit Pater, qui R.V. iuſſu, vt in iiſdem litteris habetur, ad me eſt iter ingreſſus, maximis exultabo gaudiis. Rogo R.V. per Deū immortalem, vt in operariis, qui vineam hanc excolant, ad me mittēdis ſe præbeat liberalem, quibus in magna Prouincia Paretorū, hoc anno primùm Hiſpanis cognita, abundè ſuppetet læta ſeges ad meſſem matura: Admiranda ſunt planè, quæ de regione hac ipſiuſq; narrantur habitatoribus, adeò vt incredibiles aliquibus videri poſſint fabulæ.

Narrant inter alia Hiſpani, Prouinciam hanc ampliſsimam ab innumerabili hominum multitudine incoli, nationémque inter alias multas eſſe vnam hominum nigrorum, alteram Pumilionum, tertiam verò Amazonum, omnéſque vni Monarchæ potentiſsimo parêre: Inuito ergo R.V. vt vbi Prouinciæ, cui nunc præeſt, rectionem depoſuerit, ad has regiones veniat, vbi ad imitationem B.P. Franciſci Xauerij Indum in humeris ſuis ſuſtinebit. Indus porrò R.V. poterit eſſe natio Paretorum. Deum oro, vt nobis aliquando illuceſcat dies, quo omnes & ego in primis R.V. inter hos idolorum cultores munere ſuo fungentē videamus.

Quod reliquum est, mi Pater, scias hanc terrarum oram magnum nuper fecisse damnum, propter Prouinciarum 4. numero defectionem, quæ nobis aditum magnum ad Euangelij propagationem apud varias gentes interclusit, vt taceam innumera, quæ ab ea sunt orta incommoda, rerúmque propè omnium perturbationes varias. Sed summus Rex IESVS CHRISTVS, cuius negotium geritur, remittet, vt speramus, animaduersionem & supplicium, quo iustè in populũ vti poterat, cui misericordiæ suæ fontem aperiet, ne mortales innumeri in idololatriæ tenebris demersi ad inferorum perpetuos cruciatus detrudantur. R. V. in suis ad Deum precibus etiam atque etiam instet, vt ipsamet ad nos mittatur, quo præclaro huic operi, quod aggredi cogitamus, tanquam dux noster præsit: Ego porrò etiam in hac mea senecta longo defessus labore, cùm meo tum aliorum sociorũ sacerdotũ nomine, R. V. obsequia omnia & obediẽtiã polliceor. Age mi dilectissime pater, & rem hanc cũ nouo Prouinciæ Præposito seriò tracta simul & cũ Domino Prorege, vt antea R. V. apud Nigros, Pumiliones, & Amazones, Christo Domino in promulgando Euangelio laborantem videam, quàm de hac vitæ statione discedam. Amen.

Idem P. Dieghus de Samaniego ad patrem Ioannem

annem Sebastiano, cui quas iam recitaui scripserat litteras, quæ hîc adieci, scripsit. Magna sunt & admirāda in noua hac terrarũ ora, cuius cognitionem sensim consequimur. Socij autem, qui sunt in sancta Cruce della Serra, ex Indis rusticanis intellexerunt; eam ab ampliùs trecentis magni nominis nationibus, vt de Pumilionibus, Nigris, Amazonibus, & Quarais, aliisq́ gentibus minùs illustribus dicā nihil, incoli; omnibus abūdare bonis, quamuis præcipuo careant bono, cũ hominem non habeant, &c. Deus fortasse messem hanc reseruat operariis nouis, qui studio illustrandi Christi Domini honorē feruentes, absque formidine in amplissimas has Prouincias, cum sanctissimæ Crucis explicato vexillo ingredientur, maximè in regna Paretorum & Doratorum, in quibus est nobis omnibus & præcipuè R. V. apertus cursus ad triumphandum de communi generis humani hoste: Nouus hic labor erit R. V. quasi animi relaxatio à curis Præpositi Prouincialis, quas nunc deponet: Cæterùm non erit omnino sine cura, ad infantium quippe morē linguæ erunt addiscendæ. At labor hic ad multorum salutem susceptus tanta est cum iucunditate coniunctus, vt cum Isaia licebit dicere, computrescet iugum à facie olei. Et mihi sem, septuaginta circiter annos nato, Deus animum dedit addiscendi binas lin-

linguas, vt his nationibus opera mea salutaris esse possit, immo propterea in libello meo, quo sum cõplexus vocabula linguæ Chiriguanan, chartã reliqui albam, in qua cõscribere aliarum linguarum verba cõstitui. Et quamuis vitæ spatiũ, quod longum satis mihi promitto, (non est enim abbreuiata manus Domini) me deficiat; voluntas tamẽ bene merendi de aliis, Christo Domino grata erit. Hactenus P. Dieghus Sammaniego.

Vt verò qui sunt harum gẽtium, quarum notitiam hoc anno primùm habuerunt Hispani, ritus meliùs Lector sciat, adiiciam quæ cõmemorat vir fide dignus, qui præsens aderat, cũ primùm Hispani ad ipsarũ terras peruenerunt: is enim hoc nomine Limam venit, vt Proregem de his, quæ oculis suis viderat, certiorem faceret. In Prouincia sanctæ crucis della Serra patefacta est versus Septentrionem planicies ampla, quam nationes contaminatis superstitionibus præter modum obligatæ incolunt, quæ passim habẽt in domibus suis, & ex collo dependentes portãt, sculptas dæmonis imagines, apud singula verò municipia domus est vna dæmoni dedicata, pulchrè depicta & ornata, in cuius medio est suggestum, ex quo dæmon certis temporibus conciones ad populum habet, ita vt non modò audiri, sed & conspici poßit. Aduẽtanti dæmoni obuiã à populo fistulis & aliis musicis

ficis instrumentis canente itur, solet idem dæmon supplicationibus populi intereße, & simul dies festos agere, vt autem summatim dicam, sunt hæ nationes mirum in modum dæmoni in omnibus obsequentes, auguriisq́; mirabiliter deditæ. Nuper dæmon prædixit in oras illas venturam gentem barbatam, antea incolis non visam, cum qua armis certare dissuasit, si salui & liberi persistere vellent. Regnorum illorum Dominus, cui nomen Guarepeci, præcepit clientibus, vt gentem illam barbatam humaniter acciperent, filiasq́; ei in matrimonium darent, quo faciliùs in fraudem deducta, sine ciuium damno interfici posset. Dei porrò est prouidentia factum, quòd Pareti, qui sunt finitimi Guarapeci, patefecerunt Hispanis cùm dæmonis vaticiniū, tū nefariā idololatrarū fraudē. Vnde factū est, vt Hispani, de improuiso cū armis in regionē illā irrumpētes, Indos cōplures in captiuitatē abduxerint, qui nunc in sancta Cruce della Serra fidei rudimenta discunt, vt baptismo, temporis progressu initientur. Narrant hi captiui multa de patriæ suæ (quæ frequentissimè immo frequentiùs quàm Hispania habitatur) fertilitate. Quæ res mouit ciuitatem sanctæ Crucis, vt litteris ad P. Prouincialem scriptis, quarum exēplum hîc subieci, operarios impensè flagitaret, qui in hoc nouum regnum mittantur.

Ciui-

Ciuitas hæc, & qui eius territorium incolunt, se plurimum sanctæ Societati IESV profitentur obstrictos, hoc maximè nomine, quòd ipsius Societatis Religiosi, linguis suis igne cœlesti inflammatis, cùm Christianis tum barbaris nationibus mirabiles præbeant vtilitatis fructus. Nunc verò singulari Dei benignitate sunt regiones patefactæ, quæ hinc absunt 260 passuũ millibus, quas idolorum cultores incolunt, quod fusiùs & minutatim narrabit, qui has litteras deferet, Franciscus de Carriera, quem dedita opera ad Proregis excellentiam mittimus, vt colonias in oras illas mittat, simulq́ R. V. Sacerdotes ableget, qui ad propagandã Christianam religionem cæteris faces præferant sine quorum subsidio veremur, ne conatus nostri non eum, quem optamus, felicem exitum consequantur: proinde obnixè rogamus R. V. vt nobis opituletur; quod faciet, si operarios miserit, & ardenti studio nos Deo in suis orationibus commendarit. De reliquo R. V. fidem huic viro honesto & fide digno, cui has perferẽdas dedimus, habere poterit, & in Domino à nobis valebit. Ex vrbe sanctæ Crucis della Serra, &c. Magistratus Regij, & collegium Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis.

Quæ suprà particulatim narrauimus, simul & litteræ ad P. Prouincialem ex vrbe sanctæ Cru-

cis

cis scriptæ, non obscurè testantur, quem operarij Societatis IESV ex Indis laborum suorum fructum reportent. Nunc superest vt videamus, quanti sunt progressus, quos fecerunt incolæ Peruani à sociis in Christiana Religione instituti. Sacramentorum frequens apud ipsos est vsus; in operibus verò piis exercendis sunt assidui, vt iis in rebus, quæ ad effrænatas animi cupiditates frangendas momentum aliquod habent. Peruanorum equidem vita dici potest perpetua afflictio, (tanta est ipsorum paupertas, & qua opprimuntur calamitas) quam ipsi maiorem in modum augent voluntariis verberibus, inedia, aliisq; asperitatibus. Sunt inter ipsos nonnulli, qui à Deo sunt consecuti donum planè diuinum orationis, cuius beneficio rerum cœlestium cognitione ipsorum mens mirificè illustratur, séque ipsi noscunt, virtutúmque sibi thesaurum accumularunt: quarum rerum cùm occasio datur, non vulgaria extare solent experimenta. Non desunt virgines castæ, quæ vt virginitatem seruarent suam, vitæ discrimen adire non dubitarunt. Fœminæ verò matrimonio iunctæ in tanto habent pretio castitatem, vt si à Sacerdote, dum peccata confitẽtur, interrogentur, num aliqua in re castimoniã violarint, grauiter offendantur, dolent namque hac de re sibi quæstionem poni ab eo, cui ipsarum matri-

trimonium est perspectum, & proinde coniugis ad Sacerdotem de castimonia interrogantem hæc solet esse respõsio: Nunquid dixi me esse viro nuptam? In Cuzco maximè complures sunt cùm Inditum Indæ, quibus adeò est cordi hospitalitas, vt fortunis suis aduenas & peregrinos qui apud nostros confiteri peccata sua volunt, magna charitate alant, modumq́ ritè confitendi doceant, abeuntibusq́ cibaria, quibus in reliquo itinere vescantur, abundè ministrant. Noui ego Indam vetulam, Agnetem nomine, dum idola coleret sagã, quæ Christiana facta, dum corporis vires suppeterent, & valetudine esset bona, vniuersum regnũ Peruanũ peruagabatur, incredibili animi ardore & fructu magno apud varias gentes de fidei Christianæ mysteriis verba faciens, posteavero senio confecta viribusq́ imbecilla se recepit Cuzco, vbi ante-meridiano tẽpore omnibus, quæ in templo fiebant, sacris intererat: pomeridianis verò horis ad templum cõsistens & pensum trahebat, & pueris rusticanisq́ hominibus in iis, quæ ad Christianæ religionis spectant cognitionem, erudiebat, egestatem cùm suam tum aliorum pauperum, partim suo labore, partimq́ opulentorum hominum liberalitate sustentabat.

Alia quædam fœmina, cui nomen Anna, in ætate matura, postquam fortunas omnes suas pau-

peribus distribuisset, in mendicitate vitã transegit, ita tamen, vt captiuorum pauperumq́ angustias sua industria subleuaret: nam opulentorum opem implorare non desistebat, quo haberet quod in egentes erogaret. Matrona hæc optima, perpetuò aliorum deflebat peccata, publica maximè, & quorum contagione contaminabantur alij. Multa his similia suppetunt, quæ cõmemorare possum exempla, vt verò paucis multa complectar, fructus, quos ex Indis percipimus, vberes sunt & stabiles, & plerię Patres cùm doctrinæ tum naturæ donis insignes, sua quam consecuti sunt sorte in erudienda hac natione cõtenti viuunt, quod litteræ, quas adscripsi, ex parte aliqua testantur.

Epistola P. Dieghi Vazquez ex domicilio Iulij ad P. Prouincialem scripta.

AD R. V. rariùs scribere constituerã, ne ipsam variis occupatam rebus interpellarem, verũ litteræ R. V. ad P. Petrum Vincentium me sentẽtiam mutare coëgerunt, quibus à me rationẽ suscepti laboris apud Indos expetit. Scribo ergo nũc, & dehinc, quoties meas fore R. V. gratas intellexero, scribere non intermittam. Vt à me ipse ordiar, Dei immortalis magnam experior erga me benignitatem; qui mihi tantam dedit lætitiam, quantam nunquam ex re vlla perceperim. Sit nomen ipsius sanctissimũ in magna apud mortales

omnes gloria. Nullam hoc tempore habeo difficultatē, adeò vt Dominus me in suis portare brachiis, cibúmque mansum, non secus ac si puer infans essem, in os meum inserere videatur, cuius honori seruire non desistam: In eam siquidē spem veni, vires me tandē consecuturum ad comedendum cibarium panem. Crebrò miseros vrbis Iuli muros cōspicio, & mōtes hos saxis viuis nudos, & mihimetipse dico; perpēde ad quas res amoris tui oculos adieceris, adeò vt tibi molestū foret, ex hac vrbe ad alias terras migrare. Cæterū video Deū, eam mihi iniecisse mentem, vt totus ex nutu & voluntate V. R. pendeam, adeò vt R. V. auctoritate fretus, auderem ad extremas terrarū oras cōmigrare: sed bona V. R. venia libere dicā, me hîc, quem cupiebam, reperisse habitandi locum: quare R. V. voluntate hîc viuā, hîc moriar, hîc sepeliar, modò aliud à diuina prouidētia, à qua pendemus omnes, constitutum non intellexero. Incommoda, qua dum in Hispania essem affligebar, valetudine iam emersi; & si mentis sanitas responderet firmæ, qua nunc fruor Dei beneficio, corporis habitudini, in Christianis perfectis nō iniuria numerarer. Quod ad Indos attinet, pro virili conor impositum mihi Parochi onus sustinere: Tanta est siquidem operariorum penuria, vt abhinc duos ampliùs menses mihi sit demādata cura Parochiæ

sancti

ſancti Ildefonſi, & abhinc menſem vnū cœpi confitentes peccata ſua audire: non tamen ſine ſcrupulo, propter vernaculæ linguæ tunc temporis nō ſatis magnam intelligentiam; nunc verò ſine ſolicitudine, magna cum voluptate, cōfitentes audio, adeò vt dies mihi videantur horæ. Ad vnum omnes Parochiæ, cui præſum, incolas confitentes audiui, quare excurrere cogito ad Chriſtianos, qui ſe in montes abdiderunt. Ad me acceſsit mulier Inda, quæ ſemel aut ſummum bis in omni ſua vita eſt confeſſa ſua peccata nullo ſuo commodo, verùm magno damno, nam grauiſsima ſilentio prœterierat, hæc ſceleris ſui conſcientia perpetuò cruciata, nullam mētis quietem reperiebat. Capocanauam vbi B. Virgo ſingulari honore à Chriſtianis colitur adiit, eam ſupplicibus verbis rogauit, vt à Christo Domino peccatorum ſuorum veniam impetraret. Tandem illi perſuaſum fuit, vnicū ſupereſſe remedium, quo ſalutem conſequi poſſet, vt nimirum ſe patribus ſanctis ſiſteret. (his in locis Societatis noſtræ religioſi, hoc modo paſsim nominantur) Ego porrò mecum ipſe ſum locutus: Incidiſti in Patrem ſanctum, Deus vtrique ſanctitatem impertiatur. Animi ſui morbos & vulnera poſtquam in confeſsione aperuiſset, tranquillè & placidè conſcientiæ cruciatibus libera viuere cœ-it. In prima quam ad Indos habui concione me

 Patrem

Patrem matrémq; & fortunas omnes deseruisse dixi, vt ipsis in iis, quæ animæ salutem spectãt, subuenirem. Quæ pauca verba cõcionem sic affecerunt, vt signis adeò frequẽtibus hoc meum factum sibi gratissimum esse cùm singuli declararent, non nisi magna cum difficultate mentis cogitata eloqui potuerim. Postridie eius diei à Procuratore regio intellexi, Indam hoc nomine fleuisse, quòd salutis suæ procurandæ causa parentes dereliquissem meos. Laborem quem suscipio in erudiendis Indis consolatur vitæ, (vt alia taceam) quam in ipsis deprehendi, integritas: nam in iis, quas toto mense accepi, cõfessionibus, nullum grãde reperi peccatum. Polliceor itaque R.V. eam esse populi huius honestatem, studiúmque seruandæ castimoniæ, vt admirationem apud eos, quibus gentis mores non sunt perspecti, non mediocrem habere debeat. Rem assero, quam experimentis certissimis verissimam esse didici: nam alioquin in animum inducere meum non potuissem, qua ratione puellæ in agris sæpe domíq; sine testibus ab omni libidinis contagione remanerent puræ. Hæc sola ratio me deberet mouere, vt de solo vertendo non ampliùs cogitem. Non desunt exempla, quibus me verum scribere confirmare possũ. Sed cùm P. Petrus Vincentius se ad R. V. scripturum receperit, quæ Lectorem & delectare & ad omnẽ

virtu-

virtutem impellere possunt, hoc labore supersedebo, & duo tantùm mihi certò cognita commemorabo. Indæ, ætate florentis, pudicitiæ diu multumq; insidiabatur Indus, qui cùm nihil promouisset, stricto pugione ipsi est mortē minatus, si non assentiretur. At illa secari & membratim se malle diuidi respondit, quàm in Deum creatorē suū peccare, atque clamorem maiorem edens, libidinosum illum fugauit: qui insequenti nocte rediens, scelere nefario cùm se tum castam virginē contaminare est conatus, sed eadem animi magnitudine, qua antea, virgo vsa, hominem impudicitiæ insimulās: Tu, inquit, neque Deum times neque Patres, verùm propterea Dæmonies mancipatus, quo ipsius opera obscænis fruaris voluptatibus. Voce deinde grandiori ipsi insultans, castitatem suam sartam tectā conseruauit. Fuit & alia Inda, præ cæteris æqualibus, ornata virtutibus, quæ falsò annuæ libidinis crimine notata, vehementer cœtū omnem Christianorum perturbauit; existimarunt siquidem omnes, ipsam in cōfessione scelus hoc reticuisse, ac propterea quoties Eucharistiæ Sacramentum accepisset, nouo se crimine obligasse: vt verò tanti flagitij meritas lueret pœnas, in domum hospitalem est detrusa, vbi impudica habebatur, quæ semper pudicitiā coluit: patienter placidéque tulit omnia, cæterū constan-

ter negabat vllum à se admissum scelus. Tandem Deo volente est factum, vt Indus, qui falsò putabatur fœminæ huius amasius, cæteríque ipsius accusatores palinodiam canerent, quibus omnibus ipsa facilè ignouit, adeò vt animaduersionem omnem, quæ tanto facinori debetur, planè condonarit. Mihi porrò interroganti, quo animo opprobriũ hoc simul & pœnam, quam nulla sua culpa sustinere cogebatur, tulisset, respondit: Pater mi, cùm memoria mecum ipsa repeterem calumnias & iniurias, quas Christus Dominus hominũ causa pertulit: aduersæ res omnes non dolorem mihi attulere vllum, verùm voluptatem, maximè cùm non ignorarem me peccando longè his omnibus maiores esse promeritã pœnas. Alia præclara facta his, quæ nunc commemoraui, nõ minora, propter breuitatis rationem silentio prætereunda iudicaui; vt ergo concludam, in dies mea erga Indos beneuolentia augetur, quam animi Christiani iucunditas comitatur. Et cũ remissiorem in munere mihi iniuncto me deprehendo, animum ad socios qui Parochiis præsunt conuerto, quos video tanquam legitimos Societatis filios strenuos, sic vt nullo labore pro Christi nomine suscepto defatigentur: Quare ipsorum exemplo me ipse colligẽs, quo possum maximo conatu ad cœptum opus propagandi pietatem me comparo. Per Deum immortalẽ ro-

go R.V. ut mei filioli sui perpetuò meminerit, maximè quòd R. V. opera vsus sit Deus, vt me beneficiis afficeret magnis, quæ vt spero ad exitum vsque augere non cessabit. Iuli, 9. Aprilis 1601.

Ante Hispanorum in Peru introitum extitisse olim in terris illis Christianæ religionis doctores dubitare non poterit, qui luculentum, quod ad rectori Collegij Pacis anno 1589 ad Prouincialem scriptum, diligenter legerit.

In Prouinciam Omasuyo missi socij multa præclarè fecerũt, maximè apud Indos, qui Charabuci vocantur, quæ ad Christi Domini honorē redundarunt. Rei bene gerendæ ansam dedit vicinarũ gentium concursus ad agendum diem festũ Crucis recenti illo tempore inuentæ. Quia res est certa, testimonioq́ R. Episcopi, qui interfuit & præsens vidit, diligenterq́ omnia examinauit, quæ dũ Crux inueniretur, euenerunt confirmata. Nō erit abs re Christiano lectori eam paucis explicare.

Narrant Indi natu grandes, se à maioribus suis accepisse, opinionem fuisse vetustam, multísque sæculis continuatam, de hominis barbati, capillo nigro & lōgo, cum duodecim sociis in has oras per eam Paragavi partē, quæ Brasiliam attingit, ingressu: déque ipsius in peninsulam, quæ lacui adjacebat, à barbaris volentibus eum interimere fuga, qui non ampliùs ab incolis visus (nā penin-

ſula mox non ſine omnium admiratione facta eſt inſula) ad gentem Carabuco cum diſcipulis peruenit, vbi in vrbis platea Crucem grandem fixit, quæ terrori magno fuit dæmoni, qui ſtatis temporibus in hominis figura in omnium conſpectum ſe dare conſueuerat, adeò vt in Sympoſiis conuiuas ad omnia vitia impellere, & in primis ad poſcendum maioribus poculis adhortari, vt hac ratione ebrij facti, nefandis contaminarent ſe ſceleribus, non ceſſabat. Cùm Gubernator viríque Principes regionis animaduerterent dæmonem hunc, ſuum prodeundi in hominum conſpectum longo ſatis tempore intermiſiſſe morem, cum Necromanticis expoſtularunt, ipſis præcipientes, vt quænam eſſet cauſa tam diuturnæ abſentiæ dæmonis explicarent. Cœperunt hi vbinam eſſet dæmon inueſtigare, & mox vt ſunt in patentes campos ingreſſi, in ipſum furibundum incurrentes, legationis ſuæ cauſam expoſuerunt, expoſtulantes cum ipſo, cùm Gubernatoris tum ciuium ſuorum omnium verbis de longa eius abſentia, quaſi ab ipſo fuiſſent deſerti, cùm non in conſpectum populi, prout antè conſueuerat, ſe ampliùs daret. Quibus reſpondit, nō ſibi deeſſe quas inuiſat regiones, ſeq; aliis in locis habuiſſe negotia, ſuámque conſuetudinem non tantùm à terrarum illarum incolis expeti: & vos, inquit, non ſatis noſtræ coniun-

ctioni amicitiæq́; satisfecistis. Cedo, quis vos docuit adorare lignum, quod in vestra platea est fixum: peregrinúmque illum cum sociis, meis hostibus, beneuolentia prosequi? Respõderunt venefici, nos hoc tempore lignum illud non adoramus, illos verò à quibus fuit fixum non nouimus, illorúmque doctrinam non amplectimur. Abite, inquit dæmon, & à me Gubernatori vestro renunciate, vt curet lignum illud deturbari, quo facto ad epulũ populus omnis conueniat, cui & ego pristino more interero. Dæmonis ministri, quæ ab hero suo acceperant mandata, renunciarunt Gubernatori, qui iussit apparari conuiuium, & ad illud inuitari sancti viri discipulos, (quibus à præceptore suo, ad vicinas gentes propagandi Euangelij causa proficiscente, demandata fuerat Crucis custodia) qui se à Cruce recessuros præcisè negarunt; nam à præceptore suo in mandatis acceperant, ne vlla ratione Crucem desererent. Quod verò ad victum attinet, vnius opera satis esse poterat, qui pro omnibus à vicinitate stipem colligeret. Non propterea destitit Gubernator viros hos pios, quos in dæmonis potestatem redigere cogitabat, vrgere, vt ad publicum venirent conuiuium, qui cũ in suscepta sententia constantes persisterent, à Gubernatoris ministris iubente hero sunt necati, nõ dubitantes pro Crucis defensione sanguinem fun-

dere, quam incolæ magna alacritate & lætitia cõtinuò disturbarunt.

Opiparè postea paratum est conuiuium, cui cũ dæmom interesset, nihil habuit antiquius, quàm vt Crux cõbureretur, quæ continuò à populo fuit tecta mole materiæ ligneæ, ex qua factus est magnus ignis, circum quem conuiuæ tam diu saltarunt, quoad struem omnem illam vnà cum Cruce redactam in cineres putarent. At die insequenti reperta est Crux non minùs inuiolata, quàm cùm disturbaretur. Quod videns dæmon, se irrideri existimauit, ac propterea eã securibus æneis (quarum tunc temporis apud gentem illam vsus erat) secari voluit, sed nihil perfici potuit, immo secures, quibus viri robusti & valentes eam percusserant, frangebantur: Crux verò incorrupta permansit, quare dæmon ira inflammatus, curauit vbi antea erat fixa eam humo tegi, vbi multis sæculis sic durauit integra & solida, vt cùm minima ipsius particula hoc tempore abscindatur, vel optimi cultri acies retundatur. His omnibus nõ contentus dæmon, persuasit Indis vt virum sanctum interimerent; hi suo morigeri hero sanctum conquisierant, & repertum, ad agrũ ab ædificiis tria passuum millia distantem educentes, in crucẽ, quæ tribus magnis cõstabat saxis, agere constituerunt. Cæterùm scelerati dæmonis ministri, vt paratiores

res essent ad edendum truculentum hoc scelus, animos relaxare suos voluerunt, & se dare iucunditati. Conuenerunt ergo combibones aliquot, qui ebrij facti spatium viro sancto dederunt dissoluendi vincula, quibus astrictus erat, & ad lacũ Chucchito euadendi, quem sine nauigio, pallio nimirum suo in aquam injecto, innixus transmisit. In quas verò terrarum oras abierit, hactenus sciri non potuit. Cum his quæ nunc narraui consentanea est siue fabula siue historia illa de Certo Tuncopa, quẽ hæc gens tanquam virum olim sanctissimum colit, suasu enim dæmonis tentauit populus eum in saxeam illam, quæ hac memoria exstat, crucem agere. His adiicere licet rem certò cognitam, locus ille, & quæ ei paret vicinitas, est à fulmine liber, ex quo tempore in templo collocata est Crucis huius pars, cùm tamen illa Prouincia fulminum iactibus non raro, incolarum non exiguo incommodo, vexetur. Alteram verò Crucis partem transtulit R. D. Episcopus ad templum Cathedrale Ciuchisaca, vbi in theca sumptuosa sub claustris posita, ne inscio R. ipsius auferatur portio aliqua, asseruatur. Inuentionis porrò Crucis huius origo nobis explicanda est. Inter se discordant gentes Nanansaia & Naransaia, quarũ Gubernatores cùm se mutuò insectarentur conuitiis, Nanansianus inter alia aduersario dixit suo, saltem

saltē maiores mei non occiderunt Hispanos illos, qui omnium primi ad nos venerunt, has regiones exploraturi, quod eos, ex quibus tu es progenitus, fecisse constat: cui hostis: Pudétne, inquit, te loqui, cùm omnis tua familia veneficiis prorsus infamis, ab iis, qui Crucem obruerunt originem duxerit, &c. Postquā loci Parochus de hac altercatione, inter duos Gubernatores habita, certior factus fuisset, diligēter cœpit omnia indagare, & tandem eius iussu ibi cœptum est fodi, vbi suspicio erat Crucem abditam iacêre; inuenta est Crux integra & incorrupta: atque in templum, postquā populus honoris causa cōuenisset, delata. Parochus duos accepit clauos æneos, quos ex his locis migrans secum abstulit. Cæterùm R. Episcopus, vbi ab Indo intellexit constantē fuisse apud priscos de tribus clauis famam, curauit denuo fodi, & inuentus est tertius clauus, quem R. ad templum Cathedrale portauit: cùm verò iter faceret, ipsius cubicularius à magno stomachi dolore, huius claui tactu, liberatus fuit. aqua in quam fuerit iniecta pars aliqua ligni Crucis epota, febribus aliísque morbis afflictos ilico sanat. Hactenus de historia inuentionis Crucis, quæ his in oris non paruā habet venerationem.

Beneficia non vulgaria, quæ Deus in hanc gentem contulit, mihi vberrimam ad scribendū suppedi-

peditant materiam, sed attingam recentia tantū pauca & maximè illustria. Accepi à R. D. Episcopo Chito, viro cùm pietatis tum doctrinæ laude florente, Indam, quæ morem suum confitendi peccata sua apud Societatis Patres intermiserat, à virtute ad vitia sic deflexisse, vt se omni turpitudine fœdare non dubitaret, admonitionibúsque tum sociorum tum aliorum Religiosorum cōtemptis, in vitiorum sordibus aliquādiu iaceret: Hæc de improuiso sic fuit graui oppressa morbo, vt tres dies totidémque noctes sine omni sensuū vsu tanquam mortua manserit. Postquam verò vis morbi se remisisset ita vt astantes agnosceret, accersiuit Sacerdotem Societatis IESV, cui peccata confessa est sua; huic narrauit, se tridui hoc spatio, quo sensuum functionibus priuabatur, ab Angelo custode fuisse ad purgatorium locum ductam, vbi medicum vidit, qui tempore illo, quo ipsa sine sensu iacebat, è viuis excesserat. A Purgatorio deduxit eā Angelus ad locum tenebricosum, odoris intolerabili fœditate horribilem, in quo voces & eiulationes præter modum lugubres audiebantur: ex iis porrò Indis, qui inauditis cruciabātur suppliciis aliquos sibi cognitos nominabat, qui cū in viuis essent, turpissimè flagitiosissiméque vixerant. Ex Hispanis vidit ipsa cùm viros tū fœminas, ex quibus duas propriis nominibus signabat.

bat, quæ obscœnius vixerant, & Sacramentis non expiatæ è vita discesserant. Vidit præterea in perpetuis flammis cathedram vacuam, primanæ fœminæ Hispanæ præparatam, in qua persoluendæ erant pœnæ, quas ipsa publicis suis sceleribus erat promerita. Ostendit illi præterea Angelus infima quædã loca, in quibus Religiosi aliique Ecclesiastici improbi supplicia miserrima & crudelissima, maioráque iis quibus afficiebantur alij perferre cogebantur. Tandem eam de vita impudicè acta obiurgauit, adhortatus vt mores mutaret, & peccata sua Societatis sacerdoti, quem nominabat, confiteretur. Hoc tempore piè viuit hæc fœmina, suóque exemplo alios ad virtutem allicit.

Est & alia Inda, quæ mihi in confessione errata sua aperire consueuerat, hæc cũ se videret ab impudico iuuene per vim pudicitia spoliatã, suspẽdio remediũ quæsiuit, & cũ collũ in laqueũ inseruisset, S. Dei genitrix se in eius cõspectum dedit, verbisq; eã castigauit, quòd sibi vitã eripere cõstituisset, funiculũ discidit, & de cõsciẽtia per pænitẽtiæ Sacramẽtũ perpurgãda monuit; quod & factũ est opera P. Alphõsi de Barcena, qui funẽ, huius miraculi monumentũ apud se, cũ viueret, reseruauit. De bono hoc Patre Barcena, qui Cuzco mortẽ obiit die 1. anni 1598, pauca ex multis, quæ in admirandis numerari meritò possunt, commemorabo.

bo. Adfuerat vltimo Inga vero & legitimo Domino totius Peru morienti, quem cùm ſatis in Chriſtiana religione inſtruxiſſet, baptiſmi Sacramento initiauit, & Don Carolũ nominauit: Noctibus omnibus è lecto ſurgere conſueuerat, quo liberiùs Deum oraret, quo tempore dæmon ipſum ex conclaui extrahens, affligere nõ intermittebat; at patienti animo 12. cõtinuos annos, omnes quas ei communis hominum hoſtis intulit moleſtias, pertulit. In Regno Tucuman, magno ſanè labore, propter incredibilem hominum tarditatem, (ſunt enim Regni huius incolæ hebetiore ingenio) ad hominum ampliùs ſex millia, quæ Chriſtianus ſcire debet, diligenter docuit, ſuâque manu baptizauit. De animi ipſius demiſſione, ſatis erit rem vnam attingere, quam ipſe certo Patri, cui multum fidebat, narraſſe ſcitur. Cùm ſecum ipſe rationes perpenderet, quibus certam gentem planè hebetem, rerúmque omnium propè rudem & ignarã, ad Euangelij lucem ex ignorantiæ tenebris traduceret, dæmon in figura horribili & pertimeſcenda ei apparuit, cui cùm pater obuiam profectus dixit: Sede in hac mea ſedecula, tua ſiquidẽ dignitas poſtulat, vt ea tibi cedam: At ſuperbiæ Princeps, tantã animi demiſſionẽ nõ ferens, poſtquam terribilem profudiſſet clamorem, ex oculis illico euanuit. Cõſueuerat ſemper interdiu ſecum por-

portare Christi Domini infantis imaginem eminentem, & nocturno tempore prope caput suũ eandem collocare, obliuione est factum, vt imago ad caput Patris graui morbo, quo est exstinctus, oppressi non collocaretur, cupiebat hoc officiũ à curatore ægrorum præstari, at is Patrem loquentem non audiuit: Cæterùm imago clara voce se adesse dixit, quæ & ibi reperta est, vbi eam Pater collocare consueuerat.

In vrbe Lima erat vir, vulgi testimonio, insigni præditus sanctimonia vitæ, & in doctrinarũ studiis oraculum, hunc in familiari, quem cum ipso habuit, sermone P. Barcena præmonuit, si opiniones non remitteret suas, moresque non mutaret, fore vt viuus combureretur: verum fuit Patris vaticinium, nam obstinato animo tanquam hæresiarcha in flammis animã efflauit. Vt summatim dicam, donis verè Apostolicis à Deo patrẽ hunc fuisse cumulatum scimus, nam tanto ardore animi flagrabat propagandæ Christianæ Religionis, vt nulli operæ pepercerit; sex linguas exterarum nationum didicerat, quibus vtebatur, cùm ad gentes varias inanibus superstitionibus contaminatas de fidei Christianæ dogmatibus verba faceret. Totos tres & viginti annos, quos magno cum fructu in excolenda Peruana vinea insumpsit, nulla eum molestia à suscepto labore amplificandi

di Christi Ecclesiam deterrere potuit. Orandus est Deus, vt nobis suppeditet ea ad rectè viuendū adiumenta, quibus fulti æternam beatitudinem, qua ipse nunc, vt speramus, fruitur, tandem consequamur.

In vrbe Guili Saga infamis, consuetudine Indæ fidelis ad Christiana suscipienda sacra inducta, narrauit Societatis Patri, cui solebat peccata sua confiteri, se in agris cùm esset, magnam dæmonum figura horribilium multitudinem conspexisse, à quibus vrgebatur, vt ad intermissa veneficia rediret, quod si faceret, eam fore opulentā, honoratam, nulliúsque imperio subiectam prolixè pollecebantur. At cùm ipsa timore adeò fuisset stupida, vt vocem mittere non potuerit, duos conspexit iuuenes egregia forma, qui dæmones omnes in fugam se dare coëgerunt: Hæc nihilominus postea à scelesto venefico leuiro suo persuasa, ad impiam faciendi maleficia consuetudinem rediit, quam totos viginti annos cùm tenuisset, tandem hac quam describam ratione deseruit: Cùm sola in templo tempore matutino esset, vidit matronā vultu adeò venusto, vt nihil suprà, totiúsque corporis lineamentis pulcherrimam: quæ ipsam est cohortata, vt se abstineret nefaria illa occupatione, cuius dæmon auctor erat, in gratiámque cum Deo rerum omnium procreatore rediret, effectu-

rámque se promisit, vt admissis sceleribus veniã impetraret, paruit Saga salutari huic consilio, & nunc in vita, quam ad pietatem instituit, ab illa Inda cuius opera Euãgelij lucem aspexerat, adiuta, constans Dei beneficio persistit.

Inter multa, quæ in vrbe Iuli acciderunt, duo delegi, quæ anno 1598. contigerunt, iustitiæ & misericordiæ diuinæ illustria testimonia hoc loco strictim commemoranda. Adolescens Peruanus nobili loco natus, Cariche fratris filius, dum viueret patruus, apud nos peccata sua pœnitentiæ Sacramento expiabat, probísque & bonis putabatur esse moribus. Mortuo verò patruo (cui non modò in fortunis successit, verùm & commendatione Patrum Societatis à Prorege magistratum, quem ille obtinuerat, est consecutus) liberiùs quã disciplina Christiana permittit viuere, vitiisq; & sceleribus se contaminare cœpit; nam populum cui præerat, omni crudelitate vexauit, durissimáque seruitute oppressit, & ne suo tẽpore à Prouinciæ Gubernatoribus factorũ rationem cogeretur reddere, eos partim muneribus partímque promissis sibi beneuolos fecerat. Patres, his de rebus certiores facti, hominem monuerunt, vt infamiam fugeret, & ad virtutis, quã deseruerat, viam rediret; quæ omnia præstiterunt religiosa cum modestia, & ea, quæ in veritatis doctore requiritur, effica-

efficacitate, sed frustra, immo difficile est dictu quanto in odio apud eum fuit Societas, quam vrbe Guili depellere est conatus: sed cùm rē hanc ex animi sui sententia non succedere animaduertit, nos conuitiis voluit consectari, vt famam existimationémque, quam de nobis habebat populus, amitteremus. Sed aliter atque ipse voluit euenit, nam exstitit vir honoratus Societatis amantissimus, cuius magna est apud ciues Giuli auctoritas, qui hominis audaciam sic compressit, vt corā iudice eum ad palinodiam adegerit. Paucis pòst diebus missus est Potosi, vt Indis præesset, qui ex terræ cauernis argentum eruebant; at cùm se perditè gereret, à ministris Regis in carcerē est missus, ex quo opera P. Rectoris Collegij Potosi postquam se relaxauit, ad intermissa flagitia rediit, cùm animi causa inambularet, de repente in terram corruit, vocémque propè amisit hominúmque notitiam: deductus est domum à famulo, qui in ianua vidit adolescentem veste candida amictū, immo non solùm in ianua, sed in toto hoc itinere, à loco in quo miser ille decidit, domum vsque eū perpauculis passibus præeuntem cōspexit. Hominis cognati, cùm animaduerterent eum periculosè ægrotare, accerserunt Sacerdotem Societatis, quē æger neque audire neque videre voluit. Post biduum narrauit domesticis, se adfuisse infinitæ homi-

hominum multitudini, de quibus iudicium fecerat Deus, cætera verò quæ de iudicio diuino obseruauit, nefas sibi esse apertè palámque dicere. Ex hoc ipsius sermone arripuerunt occasionem amici ipsum adhortandi, vt peccatorum suorum maculas pœnitentiæ Sacramento deleret, quibus ille respondit, nolite mihi de confessione loqui nā conscientiam deprehendo meam grauissimo peccatorū onere vèhementer premi. Post quatuor & decem dies quàm hæc contigerunt cùm se morbo nō-nihil releuari sensisset, pro beneficio nullis Deo actis gratiis, cū intimis suis amicis opiparè voluit epulari, quare splendidū fecit conuiuium, sed suo magno damno, mox enim ac vini poculum vt biberet in manus acceperat, in terram à mensa sic corruit, vt sensuū omnium officio priuaretur. Vbi verò animum recepisset, cùm domestici tum qui aderant conuiuæ summo cum studio hominē vrgebant, vt peccata sua (quod totum quadrienniū non fecerat) Sacerdoti confiteretur; at se inexorabilem præbens: Iam, inquit, non ampliùs est tempus idoneum vt vestris monitis obtemperem, parantur namque mihi acerrima tormenta, his dictis totis tribus, qui insecuti sunt, diebus ingemiscere non cessauit; primo verò die lamentabilis hæc ipsius vox erupit, in mediis flammis ardeo, altero verò, ô me miserum, qui in lacu gelido consisto, ...

b.

bi non minùs frigore excrucior, quàm si igne comburerer. Tertio autem, cùm ad eos, qui præsentes aderant, se conuertissat; Amici, inquit, Nunquid videtis Rectorem Collegij Giuli flagello, quod manu tenet, me atrociter verberantem. Post hoc triduum redierunt Patres, vt omni conatu misero homini, cuius salus in magno versabatur periculo, opem ferrent; at is Crucem cùm primùm vidit, consputare cœpit: Postquam abiuissent Patres, hominem planè desperatum relinquentes. Video, inquit ipse, in porta illa aurea, matronam decora supra modum forma, loquentem cũ puerulo gratiosissimo, luce clarissima vndique circundato. Ex hac ipsius oratione arripuerunt occasionẽ qui aderant hunc in modum cum eo loquendi; Hæc quam oculis cernis, Dei est mater, te totum eius amori fideíque cõmenda, ipsam venerare, animóque demisso & supplicibus verbis roga, vt tibi à Christo Domino filio suo delictorum veniã impetret, teq́; ad omnia, quæ tibi dederit exhaurienda mandata, paratum magno animo offerto. Respondit æger abiisse tempus huic rei opportunũ, & mox: Adeste amici, inquit, mei, & hinc mõstrosissimas has bestias expellite, quibus dictis mors miserrimum hominem continuò occupauit, mortui vultum, qui aderant, reformidabant, tanta erat ipsius deformitas frequénsque & horribilis mutatio, im-

mo & cadauer, paratum vt in ſepulchrum inferretur, magno impetu ſe ex feretro propè eiecit.

Hactenus expoſui, quàm ſit hominis, qui ſua pertinacia de peccatis admiſsis dolere recuſat, miſera mors; nunc verò fortunatum adoleſcentis Indi, ſex & decē annos nati cui nomen fuit Franciſcus, vultu & moribus planè Angelicis, è vita diſceſſum explicabo. Hic ferme moriens, Sacramento Euchariſtiæ contra omnes dæmonis impias machinationes egregiè munitus, & ritu Chriſtiano vnctus, cum magna vultus animíque tranquillitate mortem ipſam exſpectabat: quo tempore tres ipſius ſorores, ipſo maiores natu, quæ decumbenti aſsidebant, in conclaue ingredientem conſpiciebant virum, ſacerdotis ex Societate, cui ipſæ confiteri ſolebant, planè & ore & amictu ſimilem, comitatum duobus Angelis, qui vultuum veſtiúmque ſplendore locum illum illuſtrabant, ab eiſdem ſororibus auditus eſt cantus cùm vocū tum inſtrumentorum cœleſtiū; quo tempore, qui Societatis more erat veſtitus, ægro dixit: Gaude fili, mox proficiſceris ad ſempiternam quietem, vbi à cælitibus exſpectaris. His dictis creuit harmonia, & B. virgo in ſolio aureo ſedens, comparuit manibus iunctis, capillóque paſſo, quam comitabantur duo illi Angeli antea viſi, & alij complures, cantorum Indorum, qui in templo noſtro

canere consueuerant, similes. His omnibus peractis cœpit æger cum Christo Domino magna cum voluptate ex animo colloqui: die proximè insequenti, qui erat sabbati, sorori natu maximæ, quæ tunc ægro aderat, vir ipsi antea incognitus, filia inquit, tuus frater mox è viuis discedet, & Angeli duo descenderunt, qui ipsum per scalas illas (quas ostendit ex cubiculo ad cœlum vsque pertingentes) in paradisum ducant. Respondit optima adolens: Fiat voluntas Domini. Proximo die lunæ cõparuit secundò sanctissima Dei genitrix, ægróque dixit: Fili, non paucis diebus te grauiter afflixit morbus, at bono esto animo, nam exiguo pòst tempore erimus vnà in cœlis, ad feriã quartam te expecto, feria porrò tertia cœpit æger audientibus sororibus dicere, apage hinc venefice infamis, nam ego sum sanctißimis Sacramentis armatus, & mox adiecit, IESV succurre mihi: sorori natu grandiori quærenti quid vidisset, respondit veneficum monstruosissimum, eúmque sigillatim depinxit; ex quo tempore pius adolescens non cessauit inuocare Dominum IESVM, quoad animam creatori suo redderet, quod factum est feria quarta in meridie, quemadmodem prædixerat sanctißima Dei genitrix.

Huius adolescentis soror Francisca nomine, optimè morata, cùm fratris sui, quicum à pueritiæ

fuerat educata, iucundissima se consuetudine orbatam sensisset, magno in mœrore (quem auxit recens vtriusque parentis mors) versari cœpit; quare Deum suppliciter orauit, ne deserta omniq; subsidio destituta remaneret; timebat equidem ne virginitatem, quam vouerat, seruare non posset; inter orandum dormire cœpit, & in somnis apparuit ei frater ante biduum mortuus, qui eam his est consolatus verbis. Soror, tuus sponsus IESVS Christus me huc misit, vt te inuiserem, tibíque renunciarem, se tuas audiuisse preces, quare teipsa consolare, & ad alteram vitam, quam propediem vnà mecum viues, te præpara. Tertio postquam hæc contigerunt die, cecidit virgo in morbum grauem medico planè incognitum, quam insequenti nocte inuisit Christus Dominus, his verbis eam compellans, Filia veni, vt te meæ faciam gloriæ & beatitudinis participem; quod virgo audiens, magno cum gaudio se ad Dominum conuertit, eum obnixè per vulnera & sanguinem sacrosanctum, quem fuderat, rogans, vt in se hoc beneficium maximum conferre dignaretur. Respondit Dominus, ita erit vt tu cupis, & nunc Angeli ad fores exspectant, vt te in cœlum abeuntē comitentur. His auditis exiliit adolescens ex lecto, & versus cubiculi ianuam cucurrit, quod animaduertentes ipsius sorores, quæ in eodem con-
claui

claui tunc temporis excubabant, ad lectum reduxerunt, admiratione obstupefactæ propter ea, quæ ægra narrabat. Illucescente die, illam inuisit P. Petrus Vincentius Italus, præpositus domicilij Societatis, quod est Giuli, cui virgo ipsa rem omnem narrauit; & Patri percunctanti quādo se morituram existimaret, (eorum qui aderant iudicio tres horas in vita manere non poterat) respondit die crastino tali hora; cœpit dextra manu Crucis signum formare, & sinistræ manus digitis compressis, pugnóque facto quasi hostem abigere, quem his verbis affata est; Quid est tibi humani generis hostis mecum negotij? fuge hinc: & mox ad sorores vultu sereno, Auditísne, inquit, suauissimam hanc harmoniam? his dictis, cū sorores tum omnes qui aderant ad orandum se cōposuerunt, cùm ecce socij duo opportunè aduenirent, qui ipsius extremum vitæ spiritum acciperent, migrauit ergo in cœlum quinto & decimo à morte fratris die, eadem qua ipse diei hora.

Ab instituto meo alienum non est, paucis explicare duo, quæ contigerunt eodem anno 1598, quo illa, quæ iam narraui, quo melius intelligamus Deum esse cùm Iudicem tum Patrem, feruentiusq; in ipsius amorem & timorem incendamur, scitum namque est periculū ex aliis facere, tibi quod ex vsu siet.

Cùm in vrbe Cuzco eſset Puſtularum morbus, cuius ſuprà memini, Societatis ſacerdos occaſionẽ arripuit monendi Indum, qui longo tempore vitioſam & flagitioſam multorum cum offenſione vixerat vitam, & inter alia: Caue, inquit, ne hæc ſit vltima mea ad te de vita mutanda cohortatio. Reſpondit is ſermone ficto. ſimulans ſe de admiſſis ſceleribus dolere, Pater, confiteri volo, quare à meipſe anteactæ vitæ rationem hodie expetã, & die craſtino R.V. adibo: At ab inueterata malitia cùm animum occupatum haberet, fidem non ſeruauit, cùm autem ante ipſius fores duo armis decertarent, ipſéque ſe interponeret, plagam ſecundùm aurem accepit mortiferam, adeò vt ſpatium confitendi peccata ſua non habuerit.

In territorio eiuſdem vrbis, Inda Chriſtianis ſacris initiata, cunctis dominicis & feſtis, quæ Eccleſiæ præcepto coluntur, diebus, in ſolitudinẽ adorandi idoli cauſa diſcedebat, cui & victimas mactabat, & poſtea cũ Chriſtianis ſacroſancto miſſæ Sacrificio intererat. Contigit hanc die dominico tardiùs ex ſolitudine domum redire, quare à Procuratore Regio, cui incumbit omnes, qui ſeriùs ad rem diuinam veniunt, ad templum deducere, monita vt ad templum ſe conferret, feſtinanter parére debuit. Verùm cùm in templo, coram ſanctiſsimo Sacramento conſiſtens, animaduerteret

manus

manus suas animalium, quæ recens idolo immolauerat, sanguine adhuc fœdatas erubuit, & deinceps se tam nefario scelere abstinere constituit, atque à Deo peccatorum, ad illud vsque tempus admissorum, supplex veniam petijt. Noctu in ipsius se dedit conspectum puerulus pulcherrimus splẽdore circũseptus, qui vultu seuero ac tristi ipsam perfidiæ & proditionis in Deum creatorem suum arguebat; maximè cũ ipsa, Christianis sacris initiata, non ignoraret quæ supplicia essent in ipsos constituta, qui diuinos honores vni debitos Deo rebus caducis habere non verentur. Maximum cepit misera fœmina ex hac pueri infantis oratione dolorem; ad ipsius ergo pedes postquam supplex, lachrymarũ vim profundens, se abiecisset, implorare & exposcere eius misericordiam magno cœpit animo; puer verò postquã apparuisset Crux aurea summopere fulgens, eam monuit, vt si salua esse vellet, Crucem illam veneraretur. Accurrit ipsa, vt monitori suo morem gereret, sed Crux ex oculis euanuit, & ipsa alterius generis magníque pretij se Cruci affixã sensit; lepra enim sic ipsius cùm vultum tum manus occupauit, vt omnes ipsius consuetudinem perhorrescerent, ipsa porrò patienter placideq́ʒ, immo magno cum gaudio, magnum hoc malum pertulit, & vbi socios duos in Patriã venisse suã intellexit, nõ sine animi dolo-

dolore, quem vberes lachrymæ testabãtur, peccata sua pœnitentiæ Sacramento expiauit.

Quanto porrò in honore apud Indos sit sanctissima Dei genitrix, quod subieci factum sanè præclarum docebit Christianos Europæos, apud quos paucos reperies qui illud imitentur.

Indus ciuitatis Chito scriba, vxorem suam in adulterio deprehensam, iudicio non antea persequi destitit, quàm ipsa capitis condemnaretur, socij porrò etiam amicorum vsi sunt opera, vt maritus coniugi suæ hoc crimen condonaret; quod ille facturum se constanter negauit. Cùm Carnifex paratus esset ad abscindendum miseræ mulierculæ ceruicibus caput, maritus qui spectaculo aderat, scriptum ei legendum dedit, cuius summa erat, se hac lege vxori suæ ignoscere, vt ipsa se Dei genitrici in seruitutem perpetuam daret apud S. Martham, (locus est in quem se recipiant fœminæ, quæ eiusmodi se contaminarunt scelere) & vt ab omnibus sciretur, eam Reginæ cœli in seruitutem esse datam, candente ferro notam eius corpori imprimi voluit.

Vt finem narrationis meæ faciam, in certa Peruana vrbe extitit vir meretricis amoribus longo tempore captus, totos equidem viginti annos concubinam legitimæ vxoris loco habuerat, à qua nullis Patrum siue cohortationibus siue reprehensioni-

ſionibus auelli potuit, immo neque aliorum qui propter ſimile ſcelus vltricem Dei manum ſunt experti, illuſtria exempla, hominem libidinis ſordibus immerſum, ad bonam frugem reuocare potuerunt: hic cùm ad amicã proficiſceretur, repentina morte perijt: Ciuitas omnis, cui impura hominis vita erat perſpecta, propter hoc inopinatum miſeri hominis malum eſt perturbatione commota; quo tempore ſocius, qui in platea concionem ad populum habebat, vt auditores à vitiis abstraheret, inter alia quæ attulit exempla domeſticum illud, quod tunc recens erat, propoſuit. Poſtquam dicendi finem fecit concionator, acceſſit certus doctor mortui cognatus, qui verborum acerbitate eum iniurioſiùs accepit, præſentibus amicis, quos ſecum adduxerat, obiurgauit, quòd factum tenebris occultandum pro concione explicaſſet. Modeſtè admodum & cum pace reſpondit Pater, ſi erratum eſſet rem notam atque apud ciues omnes peruulgatam populo narrare, ſe Deo huius facti rationem redditurum. Nõ multo poſt hoc tempus, idem doctor qui ſimul cum vxore ſua duas alebat pellices, quarum vna maritum habebat, in mortiferum incidit morbum, & cùm de vita conſeruanda ſpem nullam videret, ſacerdotẽ, cui peccata ſua confiteri conſueuerat, rogauit, vt ſuis verbis à Patre veniam iniuriæ, quam ipſi fecerat,

cerat, impetraret: nam res, inquit, est laude digna, hominum scelera omnibus nota exagitare palàm; eos verò qui aderant est cohortatus, vt sibi à libidine temperarēt, in qua ipse iusto Dei iudicio extremum vitæ spiritum edidit: nam infelix è vita discessit, concubinis ad puluinum astantibus, cùm, vt de hoc scelere doleret, animum inducere non potuerit. Suppetunt eiusmodi exempla & antiqua & noua, quæ luculenter paternam Dei immortalis erga Peruanos beneuolentiam testantur, quos ipse in terris vult esse humiles & demissos, cùm permittat ab omnibus etiam à pastoribus suis asperiùs tractari, vt in cœlis ad æternam beatitudinem cū primis illis Christi cultoribus, quos hominum furor insectabatur, tandē magna ipsorum voluptate extollat.

Ex omnibus, quæ hactenus commemoraui, collegi pauca, quæ cum Christiano Lectori communicanda iudicaui; quo magno animo qui studio propagandi Religionem Christianam tenentur, Peruanis, variis modis afflictis & propè neglectis, opitulentur: Primo ergo loco perspicimus copiosam & maturam esse hanc Peruanam messem; Deinde Peruanos, ab omnibus quasi contemptos, maximis ærumnis miseriisq; opprimi; Ad hæc certum & stabilem esse operariis propositum laborū suorum fructum, de quo inaniter gloriandi occa-

sio

sio erit nulla, cùm suscepta hæc cura docendi Peruanos in speciem præclara nõ existimetur. Quarto loco, ignorare non possumus, quin vberiores & præstantiores edituri sunt Peruani fructus, si cõplures mittantur operarij, à quibus in Religione Christiana excolantur: magísque illustrabitur apud ipsos sempiterni Numinis maiestas, quare nihil homini Christiano antiquius esse debet. Ad extremum, rem Deo facturi sunt gratissimã, qui ipsius causa neglectis omnibus, quibus in Europa fruuntur cõmodis, iter hoc Peruanum suscipiunt, vt incolarum saluti opem ferant: quòd si commoda, quæ deseruntur, solatiis, quæ seruis suis Peruanum agrum colentibus dat Deus, metiri quispiam velit, illa præ his in emissitiis meritò numeranda iudicabit.

In Peruana Prouincia sacerdotes ex Societate nõ sunt amplius centũ duodecim, ex quibus aliqui senio sunt confecti, alij inualetudine conflictantur. Collegia habent socij in vrbibus Lima, Cuzco, Arechipa, Chito, Chiucchiaia, Chiuchisacha, Potosi, & Chila. Domicilia verò, quæ residentiæ vocantur, in vrbibus Iuli, & S. Iacobi. Sunt & socij in Tucuman & S. Cruce, qui quatuor incolunt domicilia, bona itẽ R. P. N. Generalis voluntate, duo habebimus domicilia in Cartagena, & in nouo regno Granatensi; Tyronum Societatis Collegium

est

est in vrbe Lima, simul & seminarium S. Martini, in Chito verò est S. Ludouici seminarium: Et de Collegijs domiciliísque Societatis apud Peruanos hactenus. Agitur de instituendis Collegijs in nouo regno, cuius incolæ inter Peruanos omnium primi Euangelij quidem lucem aspexerunt; cæterum apud eos hoc tempore viget idolorum cultus, nam Patres duo abhinc biennium in hoc regnum penetrarant, (qui propter linguæ ignorantiam interpretum opere sunt vsi) ampliùs duodecim idolorum millia breui temporis spatio deprehenderunt: Huius tanti mali causa nõ fuit alia, quàm quòd primi ipsorum doctores vernaculam incolarum linguam ignorarint. Immensa itaque hæc & inculta silua Societatis labori reseruata videtur. Cùm ergo apud Peruanos & nouos Granatenses sic neglecta iaceat res Christiana, vt omnes qui in Italia sunt operarij eã restituere non valeant, quantam existimabimus necessariam proborum hominum multitudinem, vt gentes innumeræ, quæ Christo Domino nomina hactenus non dederunt, ceruicibus imponi suis Euangelicæ legis suaue iugum permittant? Qui ad populum de Religionis Christianæ mysteriis verba facere consueuerunt, sibi dictum existiment, quod apud Isaiam cap. 18. est scriptum, Ite Angeli veloces ad gentem conuulsam & dilaceratam;

Ange-

Angelorum nomine intelliguntur Religiosi omnes, & in primis, qui in Societate viuunt, à quibus instituti ratio, quam inierunt, postulat, vt in terris vitam cœlitum agant, puri namque ab omni vitiorum labe esse debent, & studio alienæ salutis sic inflammari, vt ad Angelorum imitationem, aliis prælucentes, omnibus qui Christiana suscipere volunt sacra duces ad pietatem, defensoresque cōtra hostium, qui tātum hominum commodum retardare conantur, insultus, se strenuos præbeant. Sunt Angeli, hoc est nuncij, principale enim sociorum munus, præ cæteris, in quibus se exercent non exiguo aliorum bono, rebus, maximi momenti & ponderis est, Legati propagandæ Religionis causa personam partesque pro dignitate sustinere; quare omnes pro virili cōtendere debent, illum imitari, cuius præclara fuit oratio: Ecce ego, mitte me. Veloces vt sint, institutum postulat, quod nullis certis terrarū oris ipsorum studiū industriāq; in disseminando Dei verbo terminauit: nam ad vltimas terras cū præcipiunt, qui Societatis gubernacula tenent, sine cunctatione est proficiscēdum: Sed ad quas gentes mittitur legatio? non ad Monarchas, Reges, Principes, viros in dignitate constitutos, in studiis humanitatis ac literarum versatos, prudentiæ laude claros, copiosos ac locupletes, ad quos lubenti animo cōplures legari cu-

perent, sed ad gentem conuulsam & dilaceratam, ad gentem exspectatem & conculcatam, cuiusmodi est Peruana natio, quæ focis patriis exturbata in metallorum venis exulare cogitur, magna cū vitæ tum fortunarum iactura, inque perpetuis sordibus non secus ac vilia mancipia perpetuò viuere, quæq; grauissimè, non modò ab exteris nationibus, verùm (quod mortales homines ad misericordiam ipsi imponendam allicere debet) à propriis vernis affligitur: gens hæc nihilominus gratissimo animo Societatis nomē prosequitur, verbiq; Dei sementem non minùs expetit, quàm terra sicca imbrem & mancipium libertatem. Verùm enimuero, qui rem Christianā apud Peruanos afflicti fractiq; animi homines, & ad virtutem propensos ex animo agit, segetem atque materiā propè immensam virtutum Christianarum reperiet; nulla se offert propter susceptos labores ansa desiderandi fugientem illam, pro qua mortales tantopere decertant, gloriā; cuius studio viri alioquin magni plerumq; trahuntur. Plurima porrò sunt, quæ Christianum doctorem meritò moueant, vt demisse & humiliter de se loquatur & sentiat, solumq; Deum laborum periculorumq; suorū mercedem expetat. Ad hæc, præclara est illa Christi Domini oratio: Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cælorū. Ex interpretibus

aliqui

aliqui hæc verba sic explanant, vt paruulorũ nomine nouitios Christianos intelligãt. Deinde Dominus postquam docuisset extremum esse deligẽdum locum, mox adiecit. Cùm facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites, ne fortè te & ipsi reinuitent, & fiat tibi retributio, quod iis cõtingere solet, qui laudis auidi se apud viros honoratos & doctos in concionibus exercent. Cũ facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi, retribuetur enim tibi in retributione iustorum. Nescio planè an vlla sit natio sic afflicta, egestateq́ oppressa ac miserabilis, vt est Peruana: Clauda enim est in via, qua ad cælum itur: Cæca, quia in ignorantiæ tenebris immersa. Ab ea nullæ sunt expectandæ diuitiæ, quia in summa mendicitate viuit; nullumq́ oblectamentum, cùm sit planè despecta, linguáque & moribus agrestis & barbara. Cæterùm hoc perspicuum est, constátque inter omnes, maximam à Deo inter cælites iis proponi mercedem, qui nullo terreno commodo inducti, nulláque voluptate impulsi, animum ad arduum præclarúmque hoc negotium excolendi Peruanã vineam appulerunt. Romæ 25. Febr. Anno 1603.

Dieghus de Torres.

APPROBATIO.

Hæ res geſtæ, & miracula Peruana, à R. Patre Diegho de Torres Societatis I E S V presbytero conſcripta, & à R. Patre Ioanne Hayo Dalgattienſi Scoto eiuſdem Societatis ex Italico in Latinum conuerſa, ſunt admodum pia, & cum fructu inſtructionis multorum vberrimo typis iure mandantur. Quod teſtor 16. Martij, anno 1604.

Egbertus Spitholdius S. T. L. Canonicus, & Plebanus Antuerpienſis.

